
THE LIBRARY OF CONGRESS


THE LIBRARY OF CONGRESS

Catholic church. Liturgy and ritual
" Ritual.

RITUALE
ET
CAEREMONIALE
BENEDICTINUM

CONTINENS

RITUS CAEREMONIAS FORMULAS PRECES

INSTRUCTIONES

QUAE SPARSIM IN LIBRIS AUTHENTICIS INVENIUNTUR.

In unum collegit cum adnotationibus
GULIELMUS MACKAY SACERDOS.

———0:0:0———

Benedictines

Ad usum R.R. Patrum O. S. B.
Congregationis Americano-Cassinensis.

AUCTORITATE ET JUSSU

REVERENDISSIMI D. BONIFACII WIMMER O. S. B.

Abbatis S. Vincentii et Præsidis ejusdem Congregationis.

Typis Abbatiae S. Vincentii, Pa.
1868.

BX2049
.B4A1
1868

Imprimatur ad usum R. R. Patrum Nostrae Congregationis.

Bonifacius Wimmer, abbas & præses.

Exchange
St. Benedict's College
8/24/36

MONITUM.

Reverendi Patres. Prodeunte nunc primum hoc Rituali et Caeremoniali ex prælo S. Vincentii, reddenda est ratio, ob quam materiei dispositio sit aliquatenus abnormis. Culpa haud mea hoc factum est. Principio enim in animo erat libellum parvae molis typis excudere; deinde, ne cogerentur Sacerdotes plures habere libros de Ritibus tractantes, statutum est a Superioribus opus ampliare. Sed huic incommodo praeventum est per copiosam indicem. Ritus et Caeremonias desumpsi ex fontibus genuinis. Monita et Declarationes, quae sparsim per librum inveniuntur, aut erui ab Auctoribus fide dignis, aut ea didici ex observationibus Romae factis. Voluntas Superiorum est, ut statim ac fieri potest, huic Rituali subsequatur Appendix continens Ritum Admissionis ad Habitum, Professionis simplicis ac solemnis tam pro Monachis quam pro Monialibus. Insuper aliquid indicabitur circa Scapularia et Confraternitates una cum Indulgentiis eisdem annexis, necnon conditionibus requisitis ad fideles adscribendos. Demum plura alia addentur utilia et scitu digna ut Ritus et Cæremoniae Ecclesiae, uti fas est, observentur.

Haec de libro sufficiant. Utinam in Sacerdotum utilitatem Sacrorumque Rituum observantiam aliquid contulerim. Interim valete R. R. Patres, et pro me Deum adprecare.

ERRATA CORRIGE.

Pag. 4 lin. 1 leg. Ordo Precum
„ 22 „ 10 „ haec famula tua
„ 22 „ 12 „ hae famulae tuae
„ 48 „ 16 „ non reprobas
„ 67 „ 18 „ auctoritatis
„ 77 „ 4 „ Pater et Filius et Spiritus &c.
„ 81 „ 9 „ restituo
„ 84 „ 24 „ absolvo
„ 85 „ 15 „ praevaleat
„ 86 „ 20 adde Confratibus Scapularis caerulei B M V Immaculatae (Proprius Regularium Theatinorum).
„ 87 „ 6 leg. quaecunque
„ 128 „ 2 adde in precibus vespertinis Litaniae dicuntur usque ad Christe exaudi nos inclusive
„ 131 „ 8 „ humanae
„ 131 „ 30 „ humanae
„ 135 „ 15 „ ministrum

ORDO PRECUM

IN

EXPOSITIONE ET BENEDICTIONE

SANCTISSIMI SACRAMENTI.



1. Cantatur hymnus *O Salutaris Hostia* dum aperitur Tabernaculum, et incensatur Sacramentum.
2. Preces novendiales (etiam juxta praxin Urbis lingua vernacula) si quae sint recitandae.
3. Litaniae B. M. V. cantantur, seu psalmus, vel antiphona, vel hymnus festo respondens, cum versiculo et orationibus analogis, nec non oratione imperata ab Episcopo, vel ab Abbate, si qua sit, sub unica et brevi conclusione.
4. Tantum ergo cum versiculo et oratione sub brevi conclusione.

Dicenda in fine Litaniarum, vel hymni, vel Antiphonae B. M. V.

Ab Adventu usque ad Nativitatem Domini.

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariae.
℟. Et concepit de Spiritu Sancto.

OREMUS.

DEus, qui de Beatae Mariae Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti; praesta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur.

A Na-

A Nativitate usque ad Purificationem.

℣. **Post partum, Virgo, inviolata permansisti.**
℟. **Dei Genitrix intercede pro nobis.**

OREMUS.

DEus, qui salutis aeternae Beatae Mariae virginitate foecunda humano generi praemia praestitisti; tribue quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

A Purificatione usque ad Pascha.

℣. **Dignare me laudare te, Virgo sacrata.**
℟. **Da mihi virtutem contra hostes tuos.**

A Pascha usque ad Pentecosten.

℣. **Gaude et laetare, Virgo Maria. Alleluja.**
℟. **Quia surrexit Dominus vere. Alleluja.**

A Pentecoste usque ad Adventum.

℣. **Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.**
℟. **Ut digni efficiamur promissionibus Christi.**

Oratio vero a Purificatione usque ad Adventum.

OREMUS.

COncede nos famulos tuos, quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa Beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.

Sequentes orationes vel aliae juxta necessitatem addi possunt diebus, qui non sint primae vel secundae Classis, sed sub unica et brevi conclusione.

DE SANCTO JOSEPH.

SAnctissimae Genitricis tuae Sponsi, quaesumus, Domine, meritis adjuvemur: ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur.

DE S. P. N. BENEDICTO.

EXcita, Domine, in Ecclesia tua Spiritum, cui Beatus Pater noster Benedictus Abbas servivit: ut eodem nos repleti, studeamus amare quod amavit, et opere exercere quod docuit.

PRO PAPA.

DEus omnium fidelium pastor et rector, famulum tuum N. quem pastorem Ecclesiae tuae praeesse voluisti; propitius respice: da ei, quaesumus, verbo et exemplo, quibus praeest, proficere: ut ad vitam una cum grege sibi credito, perveniat sempiternam.

PRO CONGREGATIONE ET FAMILIA.

DEfende, quaesumus Domine, Beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam: et toto corde tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidiis.

AD REPELLENDAS TEMPESTATES.

A domo tua, quaesumus Domine, spiritales nequitiae repellantur: et aerearum discedat malignitas tempestatum.

AD PETENDAM PLUVIAM.

DEus, in quo vivimus, movemur, et sumus: pluviam nobis tribue congruentem; ut praesentibus subsidiis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialius appetamus.

AD POSTULANDAM SERENITATEM.

AD te nos, Domine, clamantes exaudi: et aeris serenitatem nobis tribue supplicantibus: ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, misericordia tua praeveniente clementiam sentiamus.

PRO ITER AGENTIBUS.

ADesto Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuae prosperitate dispone: ut inter omnes viae et vitae hujus varietates, tuo semper protegantur auxilio.

TEMPORE BELLI.

DEus, qui conteris bella, et impugnatores in te sperantium potentia tuae defensionis expugnas: auxiliare famulis tuis implorantibus misericordiam tuam: ut inimicorum suorum feritate depressa, incessabili te gratiarum actione laudemus.

PRO PACE.

DEus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem: ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

PRO VITANDA MORTALITATE.

DEus, qui non mortem, sed poenitentiam desideras peccatorum: populum tuum ad te revertentem propitius respice: ut dum tibi devotus existit, iracundiae tuae flagella ab eo clementer amoveas.

PRO

PRO QUACUNQUE NECESSITATE.

DEus refugium nostrum et virtus: adesto piis Ecclesiae tuae precibus auctor ipse pietatis, et praesta: ut quod fideliter petimus efficaciter consequamur.

PRO INFIRMIS.

OMnipotens sempiterne, Deus, salus aeterna credentium: exaudi nos pro famulis tuis infirmis, pro quibus misericordiae tuae imploramus auxilium: ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referant actiones.

PRO INFIRMO, QUI PROXIMUS EST MORTI.

OMnipotens et misericors Deus, qui humano generi et salutis remedia, et vitae aeternae munera contulisti: respice propitius famulum tuum infirmitate corporis laborantem, et animam refove, quam creasti; ut in hora exitus illius, absque peccati macula tibi Creatori suo per manus sanctorum Angelorum repraesentari mereatur.

Finitis Litaniis et Orationibus, intonanda est a Celebrante pars Hymni **Tantum ergo Sacramentum** nisi adsint Cantores, et praesertim chorus musicorum, „*quorum munus est*, ait Baruffaldus „*in hoc casu illa verba intonare*".

℣. **Panem de coelo praestitisti eis.**

℟. **Omne delectamentum in se habentem.**

Tempore Pasch. et per Oct. Corp. Chri additur **Alleluja.**

OREMUS.

DEus, qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuae memoriam reliquisti: tribue quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari; ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. R. Amen.

Dum

Dum Sacramentum clauditur in Tabernaculo, Psalm. *Laudate Dominum omnes gentes* potest cantari a Choro, vel aliud etiam in lingua vulgari.



PRECES

AD REPELLENDAS TEMPESTATES

Dicendae quotidie (exceptis Dominicis et Festis de praecepto) post Missam Conventualem a Festo Inventionis S. Crucis usque ad illud Exaltationis ejusdem.

Ab initio Missae Conventualis aperitur Tabernaculum, sed non extrahitur Ciborium seu Pyxis. Finito ultimo Evangelio Sacerdos vadit ad medium Altaris, ibique genuflectit unico genu, et ponit calicem a parte Evangelii, relinquit tamen Corporale explicatum in medio Altaris: tunc repetit genuflectionem unico genu, et vertens se ad Cornu Epistolae (ita ut ad Ss. Sacramentum terga non vertat,) descendit ad infimum gradum Altaris ibique genuflexus dicit:

℣. Da pacem Domine, in diebus nostris.

℟. Quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

℣. Fiat pax in virtute tua

℟. Et abundantia in turribus tuis.

Surgit. **OREMUS.**

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine tempora sint tua protectione tranquilla. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

℣. A fulgure et tempestate.

℟. Libera nos, Domine Jesu Christe!

℣. Fiat

℣. **Fiat misericordia tua, Domine, super nos.**
℟. **Quemadmodum speravimus in te.**
℣. **Domine, exaudi orationem meam.**
℟. **Et clamor meus ad te veniat.**
℣. **Dominus vobiscum.**
℟. **Et cum spiritu tuo.**

OREMUS.

A domo tua, quaesumus Domine, spiritales nequitiae repellantur, et aerearum discedat malignitas tempestatum. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

OREMUS.

QUaesumus, omnipotens Deus, ut intercessione sanctae Dei genitricis Mariæ et omnium sanctorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum et Viduarum atque omnium Sanctorum tuorum continuum nobis praestes subsidium, tranquillam auram permittas, atque contra fulgura et tempestates desuper nobis indignis tuam salutem effundas de coelis, et generi humano semper aemulas dextera potentiae tuae aereas conteras potestates.

DEus, qui omnium rerum tibi servientium naturam per ipsos motus aeris ad cultum tuae majestatis instituis, tranquillitatem nobis tuae misericordiae remotis aeris terroribus permanere permittas, ut, cujus iram expavemus clementiam sentiamus. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Genuflexus accipit velum humerale, ascendit ad Altare, genuflectit unico genu, extrahit Pixidem, illamque ponit super Corporale, et manu sinistra velata per extremitatem partis sinistrae veli, accipit Pyxidem, tunc eam manu dextera cooperit extremitate partis dexte-

dexterae veli, mox dextram sinistrae manui adjungit et dat benedictionem more solito, et posita Pyxidem super Corporale deponit velum, Pyxidem vero ponit in tabernaculo, illudque claudit, sed prius genuflectit.

☞ Si preces supradictae dicendae sint post Vesperas tempore Benedictionis Sanctissimi tunc canantur tono feriali post expositum Sacramentum et cantato: „*O Salutaris hostia*".

BENEDICTIO APOSTOLICA
CUM INDULGENTIA PLENARIA.

(Postulatum circa Bened. Apost. cum Indulg. plenar.)

Beatissime Pater!

D. Bonifacius Wimmer Abb. S. Vincentii et Congr. Americano-Cassinen. Praeses Generalis ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, exponit, quod saepius per annum et ipse et alii Patres ex Congregatione sua pro Religiosis utriusque sexus exercitia spiritualia dare debet; ideo humillime petit a Sanctitate Vestra ut tam ipsi oratori, quam aliis Congregationis suae Patribus facultatem concedere dignetur, post exercitia 5. 7. vel 10 dierum exercitantibus *benedictionem Apostolicam impertiendi*,–pro qua gratia– Bonifacius Wimmer.
Abb. O. S. B.

Ex audientia Smi diei 30. Julii 1865.

SSmus D. N. Pius Divina Providentia PP. IX. referente me infrascripto S. Congreg. de Prop. Fide Secretario, tam Abbati oratori, quam singulis Patribus ad Congregationem Americano-Cassinensem actu pertinentibus benigne concessit, ut in fine Missionum ac spiritualium Exercitiorum, quae de Ordinarii consensu erunt daturi, impertiri valeant *Benedictionem Apostolicam* cum *Plenaria Indulgentia*, ab utriusque sexus fidelibus lucranda, qui vere poenitentes, confessi et sacra Communione refecti eidem adstiterint, dummodo praedictis missionibus vel exercitiis saltem ultra medietatem durationis ipsorum operam dederint, suasque ad Deum preces fuderint pro S. Fidei propagatione et juxta Summi Pontificis intentionem, addita tamen lege, ut in Benedictione danda servetur ritus a S. M. Benedicto XIV.

prae-

praescriptus in Constitutione „Exemplis Praedecessorum die 19. Martii 1748.

Datum Romae ex aed. dic. S. C. die et anno praedictis.

Gratis sine ulla solutione quocunque titulo.

H. Capalti, Secretarius.

Hoc privilegio non videntur frui illi Patres, qui Sacerdotio initiati fuerint post diem 30. Jul. 1865. Rescriptum Pontificium est restrictivum „Abbati oratori et Patribus *actu* pertinentibus".

Apostolicae litterae, de quibus est sermo, in sequenti Methodo enunciari possunt hac formula:

Attentis facultatibus a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino PIO, divina providentia, Papa Nono, per Rescriptum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide diei 30. Julii 1865. datis Reverendissimo Domino Bonifacio Wimmer O. S. B., Abbati Sancti Vincentii et Praesidi Generali Congregationis Americano-Cassinensis N. N. Sacerdos ejusdem Congregationis, Summi Pontificis Nomine, dat et concedit Indulgentiam Plenariam omnibus hic praesentibus, qui vere poenitentes confessi et sacra Communione refecti, huic sanctae Missioni (vel: his Exercitiis spiritualibus) ultra medietatem durationis ipsorum operam dederint, suasque ad Deum preces fuderint pro S. Fidei propagatione, et juxta Summi Pontificis intentionem.

ANGLICE.

In virtue of faculties granted by the Holy Father PIUS IX. through a Rescript from the Sacred Congregation of Propaganda Fide of the 30. July 1865. to the Right Rev. Boniface Wimmer O. S. B., Abbot of St. Vin-

Vincent's and President of the American-Cassinesian Congregation, N. N. Priest of the same Congregation, grants in the Name of the Sovereign Pontiff a Plenary Indulgence to all here present, who, being duly contrite have confessed and communicated and have assisted at this Holy Mission (or this Spiritual Retreat) for more than half of the time of its duration, and who have offered up their prayers to God for the propagation of our holy Faith, and according to the Sovereign Pontiff's intention

GERMANICE.

Kraft der Vollmacht, welche von Seiner Päpstlichen Heiligkeit PIUS IX. durch Rescript der heiligen Congregation der Propaganda vom 30. Juli 1865. dem Hochw'sten Herrn Bonifacius Wimmer, Abt von St. Vincent und Präses der Amerikanischen Benediktiner-Congregation, verliehen ist, ertheilt der Hochwürdige Herr N. N. allen jenen, die dieser heiligen Mission (oder: diesen geistlichen Übungen) über die Hälfte der Dauer fleißig beiwohnten, im Namen des Papstes einen vollkommenen Ablaß, unter der Bedingung, daß sie ihre Sünden wahrhaft bereut und gebeichtet, und die heilige Communion würdig empfangen haben, und für die Verbreitung unseres heiligen Glaubens und nach der Meinung des heiligen Vaters andächtig beten.

METHODUS

Indictionis praemittendae Pontificiae Benedictionis statis diebus super populum elargiendae: Ritusque in ea servandus a Regularibus, quibus a S. Sede hujusmodi facultas indulta est, vel indulgebitur.

Admoneatur Populus de Indulgentia a Sede Apostolica concessa, de praeceptis operibus pro ea lucrifacienda, de die, quo visitanda est designata Ecclesia, de hora denique, qua dabitur Pontificia Benedictio. De quibus, quatenus opus sit etiam schedis impressis, et consuetis locis palam affixis certior fiat. Post-

Postquam statutis die et hora Populus ad Ecclesiam convenerit, alta voce legantur Apostolicae Litterae, seu Decreta, quibus Indulgentia conceditur, una cum potestate Benedictionem Apostolicam super Populum effundendi, ut de Delegatione audientibus constet; et concessio ex latino sermone in vulgarem accomodatum ad Populi intelligentiam conversa pronuncietur: Populus ad suorum scelerum detestationem pio, brevique sermone excitetur: post quae Sacerdos, nullis circumstantibus Ministris, stola et superpelliceo indutus, ut in Rituali hoc praescribitur, quum agitur de Benedictionibus, quae extra Missam Presbyteris permittuntur, ante Altare genuflexus sequentibus verbis Dei opem imploret.

℣. **Adjutorium nostrum in nomine Domini.**
℟. **Qui fecit coelum et terram.**
℣. **Domine exaudi orationem meam.**
℟. **Et clamor meus ad te veniat.**
℣ **Dominus vobiscum.**
℟. **Et cum spiritu tuo.**

Deinde stans sequentem recitet Orationem:

OREMUS.

OMnipotens et misericors Deus, da nobis auxilium de sancto, et vota populi hujus in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis, tuamque benedictionem praestolantis et gratiam, clementer exaudi: dexteram tuam super eum benignus extende, ac plenitudinem divinae benedictionis effunde, qua bonis omnibus cummulatus, felicitatem et vitam consequatur aeternam. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Post quam ad cornu Epistolae accedat, ut in Actis Ecclesiae Mediolanensis par. 4. *Benedicet in Ecclesia ad Altare*, stans in cornu Epistolae: et stans in cornu Epistolae, non trina, hoc est, triplici signo Crucis, sed una benedictione, unico videlicet signo Crucis, benedicat, proferens alta voce haec verba:

Benedicat vos omnipotens Deus † Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. R. Amen.

CONFRATERNITAS

S. P. N. BENEDICTI.

(Postulatum circa Confraternitatem S. P. N. Benedicti.)

Beatissime Pater!

D. Bonif. Wimmer, Abb. S. Vincentii et Congregationis Americano-Cassinensis Præses Generalis, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, humillime exponit, quod in decursu viginti annorum, quibus Ordini Benedictino in America introducendo curam suam impendit, saepissime cognoverit, quod difficultates, quibus circumdabatur, nonnisi per interpositionem altioris manus superavit, quam sine dubio precibus amicorum suorum debebat; exponit porro:– quod vehementer desiderat, ut istas preces amicorum fidelium tam sibi, quam suis in officio successoribus mancipet, quia sine dubio cum Ordinis incremento etiam Superiorum indigentiae spirituales crescent. Ideo humillime petit a Sanctitate Vestra, ut pro sua Congregatione Americano-Benedictina idem privilegium accipiat, quo gaudet Congregatio Anglo-Benedictina videlicet ut Confraternitatem Benedictinam erigere possit, in quam ejusmodi fideles suscipiantur, qui de ordine Benedictino aut jam bene meriti sunt, aut spem praebent ut bene de eo mereri velint. Modus autem, quo in Anglo-Benedictinam Confraternitatem fideles recipiuntur hic est (ut habetur in libello: „Manual of devotions to our holy Father Benedict." London 1861. pag. 211 usque ad 218.) Monachus, qui habet potestatem admittendi, benedicit parvum Scapulare juxta formulam ibidem pag. 216 praescriptam. Persona recipienda, quae saltem poenitentiae, et si fieri potest, etiam Ss. Eucharistiae Sacramenta suscipere debuit, interea genuflectitur. Post Benedictionem, Sacerdos postulantis animo imprimit, quod particulari modo obligatus sit, Ordinem S. Benedicti honorare et defendere, atque etiam (quamvis non sub peccato) peragere quotidianas obligationes, in litteris admissionis commemoratas. Si postulans hoc promittit, Sacerdos Scapulari eam induit, sub formula ibidem praescripta, et tunc litteras admissionis ei tradit. Obligationes taliter admissae personae sunt

sunt seqq.: 1mo ut sit Scapulari induta, illudque gerat supra corpus secreto. 2do, ut qualibet nocte examinet conscientiam suam, sicque se disponat, ut morte praeocupata, bene de salute sua sperare possit. 3tio ut qualibet nocte etiam dicat ter Pater et Ave, cum uno Credo pro exaltatione et bono successu Catholicae, Apostolicae, Romanae Ecclesiae. 4to ut sua opera bona, preces etc. applicet in commodum Ordinis Benedictini. Favores autem (a Sanctitate Vestra Dec. 1854 confirmati) sunt seqq.: 1mo Indulgentia plenaria per singulos menses una vice, si confraternitatis membra digne receperint Sacramenta Poenitentiae et Ss. Eucharistiae. 2do Indulgentia unius anni et 40 dierum, quotiescunque obligationes supradictas expleverint. 3tio Indulgentia in articulo mortis plenaria, si devote pronuntiaverint, aut si hoc fieri non potest, saltem mente et corde considerent Ss. Nomen Jesu. 4to Participatio in omnibus meritis et gratiis Ordinis Benedictini. 5to Indulgentiae supra nominatae, si 3 missas offerri curent pro anima alicujus membri defuncti Confraternitatis. Potestatem autem admittendi in confraternitatem, in Congregatione Anglo-Benedictina habent Superiores et Priores Congregationis, et qui ab ipsis delegati sunt. Vix fieri potest, quin haec mutua in meritis bonorum operum et participatio mutuam etiam producat aemulationem et fervorem in exercitio bonorum operum et praesertim in Veneratione Sanctorum Ordinis Benedictini, quorum memoria propter saecularisationem Monasteriorum et exstirpationem Ordinis S. Benedicti in multis regionibus plane deleta est, aut alibi, sicut in America parum cognita.

Humillime igitur peto, ut Sanctitas Vestra gratiam supradictam Oratori concedat, et gratiosissime permittat, ut in omnibus Ecclesiis jurisdictioni seu curae nostrae subjectis hanc confraternitatem introducere possimus, et quotannis Festo S. Benedicti (21. Martii) dicta Confraternitas Patrocinium ejusdem S. Patriarchae celebrare valeat–pro qua gratia– Bonifacius Wimmer,

Abb.

Ex audientia SSmi habita die 6. Augusti 1865.

Ssmus Dnus Noster Pius Divina Providentia PP. IX. referente me infrascripto S. Congregationis de Prop. Fide Secretario benigne annuit pro gratia juxta preces.

Datum

Datum Romae ex aed. dict. S. Congr. die et anno praedictis.
Gratis sine ulla solutione quocunque titulo.

H. Capalti, Secretarius.

RITUS

benedicendi et imponendi Scapulare S. P. N. Benedicti.

(Desumptus ex libello „St. Benedict's Manual", et approbatus a Gregorio PP. XVI. d. 29. Sept. 1838.

Ille, qui Scapulari isto indui postulat, debet Confessionem Sacramentalem praemittere, et, si fieri potest, sacram quoque Communionem. Dum Scapulare benedicitur, Postulans genuflexus coram Sacerdote praestolatur. Sacerdos stola alba utitur.

BENEDICTIO SCAPULARIS.

℣. † **Adjutorium nostrum in Nomine Domini.**
℟. **Qui fecit coelum et terram.**
℣. **Domine exaudi orationem meam.**
℟. **Et clamor meus ad te veniat.**
℣. **Dominus vobiscum.**
℟. **Et cum spiritu tuo.**

OREMUS.

ÆTerne Pater, Omnipotens Deus, qui Unigenitum tuum Dominum nostrum Jesum Christum, nostrae mortalitatis fragilem vestem induere voluisti; obsecramus immensam largitatis tuae abundantiam, ut bene † - dictionem tuam in hunc sacrum habitum effundere digneris: ut sicut ipsum sancti Patres nostri ad innocentiae et humilitatis indicium a renuntiantibus saeculo sanxerunt gestandum, ita bene † dictione tua fiat, ut quicunque eo devote et fideliter usus fuerit, ob Nominis tui gloriam, et sancti servi tui Benedicti Patris nostri devotionem, ipsum Dominum nostrum Jesum Christum induere

re

re mereatur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

Et aspergit Scapulare aqua benedicta. Deinde, ad Postulantem conversus, gravi sermone eum admoneat, quod in Confraternitatem receptus peculiari modo teneatur honorare et defendere Ordinem S. P. N. Benedicti; item, quod teneatur (quamquam non sub peccato) officia peragere quotidiana, quae in Litteris Admissionis commemorantur. Quod cum Postulans, genuflexus ut antea, promiserit, Sacerdos Scapulare benedictum de Altari sumat et ei imponat, dicens:

ACcipe jugum Christi suave, et onus ejus leve: In Nomine Patris, † et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Deinde prosequitur:

COnfirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

ADesto dulcissime Domine Deus, supplicationibus nostris, et hunc famulum tuum, quem (hanc ancillam tuam, quam) sacrae nostrae religioni sociamus, perpetua tribue firmitate roborari, ut, perseveranti proposito, in omni valeat sanctitate tibi famulari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Postremo Litterae Admissionis tradantur novo Confratri, cujus nomen diligenter exquisitum inseratur Catalogo, seu libro Confraternitatis.



NUMISMA S. P. N. BENEDICTI.

(Postulatum.)

BEATISSIME PATER!

D. Bonifacius Wimmer, Abbas S. Vincentii, et Congregationis Americano-Cassinensis Praeses Generalis, ad S. V. pedes provolutus humiliter exponit, quod supremis his annis religio S. Crucis in numismate S. P. Benedicti nuncupato in foederatis Americae provinciis mirifice augeri coeperit et propagari, atque usu et invocatione ejusdem S. Crucis plurima maximaque beneficia ab Omnipotenti Deo fidelibus passim impertiantur.

Hanc saluberrimam devotionem Orator pro viribus promovere et dilatare cupiens, humillime petit a S. V., ut omnes Monachi Congregationis praedictae dictum numisma benedicere valeant cum applicatione omnium indulgentiarum a S. Sede pro isto numismate concessarum.

Ex audientia SSmi diei 30. Julii 1865.

SSmus Dnus Noster Pius Divina Providentia PP. IX. referente me infrascripto S. Congregationis de Prop. Fide Secretario benigne annuit pro gratia juxta preces ad decennium.

Datum Romae ex Æd. dic. S. Congregationis die et anno praedictis.

Gratis sine ulla solutione quocunque titulo. H. Capalti.

FORMULA

(propria O. S. B.)

benedicendi Numismata seu Cruces S. P. N. Benedicti.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

EXorcizo vos, numismata, per Deum Pa † trem omnipotentem, qui fecit coelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt. Omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, et omnis incursus, omne phantasma satanae eradicare et effugare ab his numismatibus, ut fiant omnibus.

bus, qui eis usuri sunt salus mentis et corporis, in nomine Pa † tris omnipotentis, et Jesu † Christi Filii ejus Domini nostri, et Spiritus † Sancti Paracliti, et in caritate ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos et saeculum per ignem. ℟ Amen.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.

℣. Dominus virtutem populo suo dabit.
℟. Dominus benedicet populum suum in pace.

℣. Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEus omnipotens, bonorum omnium largitor; supplices te rogamus, ut per intercessionem Sancti Patris Benedicti, his sacris numismatibus litteris ac characteribus a te designatis tuam benedictionem infundas, ut omnes qui ea gestaverint ac bonis operibus intenti fuerint, sanitatem mentis et corporis, et gratiam sanctificationis, atque indul-

indulgentias nobis concessas consequi mereantur, omnesque diaboli insidias et fraudes, per auxilium misericordiae tuae effugere valeant, et in conspectu tuo sancti et immaculati appareant. Per Dominum. ℟. Amen.

OREMUS.

DOmine Jesu Christe, qui voluisti pro totius mundi redemptione de Virgine nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, Judae osculo tradi, vinculis alligari, spinis coronari, clavis perforari, inter latrones crucifigi, lancea vulnerari, et tandem in Cruce mori; per hanc tuam sacratissimam Passionem humiliter exoro, ut omnes diabolicas insidias et fraudes expellas ab eo, qui nomen sanctum tuum his litteris et characteribus a te designatis devote invocaverit, et eum ad salutis portum perducere digneris. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Benedictio Dei Pa † tris omnipotentis et Fi † lii et Spiritus † Sancti descendat super haec numismata ac ea gestantes, et maneat semper, in nomine Pa † tris et Fi † lii et Spiritus † Sancti. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos aspergit numismata aqua benedicta.



QUIN-

QUINQUE SIC DICTA SCAPULARIA.

BENEDICTIO
et impositio Scapularis Ss. Trinitatis.

(Propria Ordinis Ss. Trinitatis Redemptionis Captivorum.)

Sacerdos indutus superpelliceo et Stola albi coloris dicit:

℣. † Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DOmine Jesu Christe, qui tegumen nostrae mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuae largitatis abundantiam, ut hoc genus vestimenti, quod Sancti Patres ad innocentiae et humilitatis indicium abrenuntiantes saeculo ferre sanxerunt, Tu ita bene † dicere digneris; ut hic famulus tuus (vel famula tua) N. qui (vel quae) hoc indutus (vel induta) fuerit vestimento, te quoque induere mereatur. Qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Postea aspergit aqua benedicta.

MODUS
imponendi dictum Scapulare.

℣. † Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Do-

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo

OREMUS.

ADesto, Domine, supplicationibus nostris, ut hunc famulum tuum (vel famulam tuam), cui in tui nomine habitum Religionis Sanctissimae Trinitatis imponimus, tu ita bene ✝ dicere digneris, ut te largiente devotus (vel devota) persistat, et vitam consequi mereatur aeternam. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

Nunc imponitur S. Scapulare a Sacerdote dicente:

Accipe habitum Sanctissimae Trinitatis in augmentum fidei, spei, et caritatis in nomine Patris ✝ et Filii et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulo tuo, (vel famulae tuae) in Confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare unitatem, quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniatur adversis.

Deus, qui per Sanctos Joannem et Felicem Ordinem Sanctissimae Trinitatis ad redimendum de potestate Saracenorum captivos, coelitus instituere dignatus es: praesta quaesumus; ut eorum suffragantibus meritis a captivitate corporis et animae te adjuvante liberetur hic famulus tuus, (vel haec famula tua). Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Susci-

Suscipiat te Sanctissima Trinitas in numerum Confratrum, Consororumque Confraternitatis nostrae, et licet te indigne suscipimus, in orationibus tamen nostris precamur, ut tibi Sanctissima Trinitas concedat tempus bene vivendi, constantiam perseverandi: et sicut nos hodie fraterna caritas spiritualiter jungit in terris, ita Divina Pietas, quae dilectionis est auctrix, et amatrix, nos cum fidelibus suis conjungere dignetur in coelis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Datur Benedictio dicendo:

Pax et Benedictio Dei omnipotentis Patris † et Filii et Spiritus Sancti descendat super te [vel super vos] et maneat semper. ℟. Amen.

Nota omnia hujus generis Scapularia nova benedictione indigere, nisi adsit privilegium quod habent Patres Congreg. Ss. Redemptoris.



BENEDICTIO
et impositio Scapularis caerulei B. Mariae Virginis Immaculatae.

(Propria Clericorum Regularium Theatinorum.)

Qui suscepturus est Scapulare genuflectat et Sacerdos superpelliceo et stola alba indutus, capite detecto, dicat absolute:

℣. † Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

ORE-

OREMUS.

DOmine Jesu Christe, qui tegimen nostrae mortalitatis induere dignatus es, tuae largitatis clementiam humiliter imploramus, ut hoc genus vestimenti, quod in honorem et memoriam Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae, nec non ut illo induti exorent in hominibus pravorum morum reformationem, institutum fuit bene † dicere digneris, ut hic famulus tuus, qui eo usus fuerit [vel hae famula tua, quae eo usa fuerit]. [*Si plures suscepturi sint dicatur* hi famuli tui qui eo usi fuerint, vel haec famulae tuae, quae eo usae fuerint] eadem Beata Maria Virgine intercedente, te quoque induere mereatur [vel mereantur). Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Postea Sacerdos nihil dicendo aspergit Scapulare (vel Scapularia) aqua benedicta: deinde illud imponit dicens:

Accipe, Frater [vel Soror] Scapulare Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae, ut, ea intercedente, veterem hominem exutus, [vel exuta] et ab omni peccatorum inquinamento mundatus, [vel mundata] ipsum perferas sine macula, et ad vitam pervenias sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Postea subjungit:

Et ego, ex facultate mihi concessa, recipio te [vel vos] ad participationem bonorum omnium spiritualium quae in Clericorum Regularium Congregatione, ex gratia Dei, fiunt, et quae per Sanctae Sedis Apostolicae privilegium concessa sunt. In nomine Patris et Filii † et Spiritus sancti. ℟. Amen.

Describat nomen ejus (vel nomina eorum) in Libro consueto: et dicat, trina vice, flexis genibus, Orationem sequentem vulgari sermone una cum adscripto (vel adscriptis)

Laudes ac gratiae sint omni momento Sanctissimo ac Divinissimo Sacramento.

Et benedicta sit Sancta et Immaculata Conceptio Beatae Virginis Mariae.

Hortetur fideles ut haec elogia saepe saepius repetant ad Indulgentias 200 dierum consequendas. (Dec. Pii VII 30. Junii 1818.– Rescr. Pii VI 21. Novembris 1793).



BENEDICTIO HABITUS ac receptio Confratrum B. M. V. de monte Carmelo.

(Propria Ordinis Carmelitarum).

Sodalitati huic nomen daturus, ipso die ad Poenitentiae, atque Eucharistiae Sacramenta accedat, ut plenariam Indulgentiam a Paulo V. concessam lucrari valeat.

Si fieri potest, Scapulare benedicendum est ad altare Beatissimae Virginis Mariae de monte Carmelo, duobus cereis accensis.

Sacerdos superpelliceum induat, una cum stola albi coloris.

Genuflexo qui habitum recipit, Sacerdos stans dicat:

Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui; secundum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terrae: justitia plena est dextera tua.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster.

℣. Et

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac servum tuum.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

SUscipiat te Christus in numero fidelium suorum, et nos, licet indigni, te suscipimus in orationibus nostris. Concedat tibi Deus per Unigenitum suum mediatorem Dei et hominum, tempus bene vivendi, locum bene agendi, constantiam bene perseverandi, et ad aeternae vitae haereditatem feliciter perveniendi; et sicut nos hodie fraterna caritas spiritualiter jungit in terris, ita divina pietas, quae dilectionis est auctrix et amatrix, nos cum fidelibus suis conjungere dignetur in coelis: Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. † Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Aeterne Pater, et omnipotens Deus, qui Unigenitum tuum vestem nostrae mortalitatis induere voluisti: obsecramus immensam tuae largitatis bene † dictionem in hoc genus effluere vestimenti, quod Sancti Patres ad innocentiae et humilitatis indicium a renuntiantibus saeculo, gestari sanxerunt, et sic ipsum bene † dicere digneris, ut quicunque eo usus fuerit induere mereatur ipsum Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

Suppliciter te, Domine, rogamus, ut super hunc habitum servo tuo (vel ancillae tuae) imponendum bene † dictio tua benigna descendat, ut sit bene † dictus atque divina virtute procul pellantur hostium nostrorum visibilium et invisibilium tela nequissima. ℟. Amen.

Aspergat habitum aqua benedicta, et imponendo dicat:

Accipe vir devote (vel devota mulier) hunc habitum benedictum, precans Sanctissimam Virginem, ut ejus meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat aeternam. ℟. Amen.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hunc famulum tuum (vel hanc ancillam tuam), quem (vel quam) Sodalitati sanctae Religionis Carmelitarum sociamus, perpetua tribue firmitate corroborari, ut perseveranti proposito, in omni sanctitate tibi valeat famulari. Pro-

Protege, Domine, famulum tuum [vel ancillam tuam] subsidiis pacis, et beatae Mariae semper Virginis patrociniis confidentem a cunctis hostibus redde securum –vel securam–.

Bene † dicat te conditor coeli et terrae Deus omnipotens, qui te eligere dignatus est ad Beatissimae Virginis Mariae de monte Carmelo Societatem; et Confraternitatem; quam precamur: ut in hora obitus tui conterat caput serpentis, qui tibi est adversarius, et tandem tanquam victor palmam et coronam sempiternae haereditatis consequaris. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Si autem habitus solum sit benedicendus incipitur a ℣. *Adjutorium nostrum* usque ad Orationem „Suppliciter" inclusive.

Deinde aspergat Confratrem aqua benedicta et subjungat:

Ego auctoritate, qua fungor, et mihi concessa recipio te ad Confraternitatem sacrae Religionis Carmelitarum, et investio, ac participem te facio omnium bonorum spiritualium ejusdem Ordinis. In nomine Patris, et Fi † lii, et Spiritus Sancti. Amen.

His expletis describatur Confratris nomen in codice Confraternitatis, et paucis sed efficacioribus verbis eum adhortetur ad caute, pie, sancteque vivendum, ne Deiparam offendat, quam in posterum peculiari devotionis obsequio et affectu colere, ac veluti singularem ac dulcissimam Matrem prosequi fas erit.

IDEM SCAPULARE
pluribus conferendum.

SUscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui: secundum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terrae: justitia plena est dextera tua.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos (vel **Salvas fac ancillas tuas**)
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eos (vel **eas**).
℣. Nihil proficiat inimicus in eis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

SUscipiat vos Christus in numero fidelium suorum, et nos licet indigni vos suscipimus in orationibus nostris. Concedat vobis Deus per Unigenitum suum mediatorem Dei et hominum tempus bene vivendi, locum bene agendi, constantiam bene perseverandi, et ad aeternae vitae haereditatem feliciter perveniendi: et sicut nos hodie fraterna caritas spiritualiter jungit in terris, ita divina pietas

tas, quae dilectionis est auctrix et amatrix, nos cum fidelibus suis conjungere dignetur in coelis. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. † Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

AEterne Pater et omnipotens Deus, qui Unigenitum tuum vestem nostrae mortalitatis induere voluisti; obsecramus immensam tuae largitatis bene † dictionem in hoc genus effluere vestimentorum, quae Sancti Patres ad innocentiae et humilitatis indicium a renuntiantibus saeculo gestari sanxerunt, et sic ipsa bene † dicere digneris, ut quicumque (vel quaecumque) eis usi (vel usae) fuerint, induere mereantur ipsum Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

SUppliciter te Domine rogamus, ut super hos habitus servis tuis imponendos bene † dictio tua benigna descendat; ut sint bene † dicti, atque divina virtute procul pellantur hostium nostrorum visibilium et invisibilium tela nequissima. ℟. Amen.

Sacer-

Sacerdos aspergat habitus aqua benedicta, et imponendo unicuique dicat:

Accipe vir devote [vel mulier devota] hunc habitum benedictum, precans Sanctissimam Virginem, ut ejus meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat aeternam. ℟. A.

OREMUS.

ADesto Domine supplicationibus nostris, et hos famulos tuos, quos [vel has famulas tuas, quas] nostrae sacrae Religioni sociamus, perpetua tribue firmitate corroborari; ut perseveranti proposito, in omni sanctitate tibi valeant famulari.

Protege Domine famulos tuos subsidiis pacis, et B. Mariae semper Virginis patrociniis confidentes a cunctis hostibus redde securos [vel securas].

Bene✝dicat vos Conditor coeli et terrae, Deus omnipotens, qui vos eligere dignatus est ad Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo societatem et confraternitatem, quam precamur ut in hora obitus vestri conterat caput serpentis, qui vobis est adversarius, et tandem tamquam victores palmas et coronas aeternae haereditatis consequamini. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat Confratres aqua benedicta et subjungat:

Ego, auctoritate qua fungor et mihi concessa, recipio vos ad confraternitatem nostrae sacrae Religionis, et investio ac participes facio omnium bonorum spiritualium ejusdem Ordinis. In nomine Patris et Fi✝lii et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Nomina de more inscribantur in codice confraternitatis.

RITUS
benedicendi Scapulare nigrum et Rosarium seu Coronam septem dolorum B. Mariae Virginis.

(Proprius Ordinis Servorum B. M. V.)

Sacerdos stola alba indutus versus candidatum dicit:

℣. † Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui morte Unigeniti tui mundum collapsum restaurare dignatus es, ut nos a morte aeterna liberares, et ad gaudia regni coelestis perduceres; respice quaesumus super hanc familiam servorum tuorum in nomine Beatissimae Virginis Septem Doloribus sauciae congregatam, de cujus gremio hic famulus tuus [vel haec famula tua] esse cupit [vel hi famuli tui esse cupiunt], ut augeatur numerus tibi fideliter servientium, et omnibus saeculi et carnis perturbationibus liberatus [vel liberata, seu liberati] et a laqueis diaboli securus [vel secura, seu securi] intercessione ejusdem Beatae Mariae Virginis, Beatorum Augustini et Philippi ac septem nostrorum Beatorum Patrum Ordinis Fundatorum vera gaudia possideat. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Conversus ad habitum super Altare positum, Sacerdos dicit:

ORE-

OREMUS.

DOmine Jesu Christe, qui tegmen nostrae mortalitatis induere dignatus es; obsecramus immensam largitatis tuae abundantiam, ut hoc genus vestimentorum, quod Sancti Patres nostri ad innocentiae humilitatisque indicium in memoriam Septem Dolorum Beatae Virginis Mariae nos ferre sanxerunt, ita bene † dicere digneris, ut qui illis fuerit indutus (vel induta, seu fuerint induti), corpore pariter et animo induat (seu induant) te Salvatorem nostrum. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Aspergit habitum aqua benedicta, dicens: Asperges me Domine hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor. Deinde benedicit Rosarium Septem Dolorum:

OREMUS.

OMnipotens et misericors Deus, qui propter nimimam caritatem qua dilexisti nos, Filium tuum Unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, pro redemptione nostra, de coelis ad terram descendere, carnem suscipere et Crucis tormentum subire voluisti; obsecramus immensam clementiam tuam, ut hanc coronam (vel has coronas), in memoriam Septem Dolorum Genitricis ejusdem Filii tui, ab Ecclesia tua fideli dicatam (vel dicatas), bene † dicas, sancti † fices, et ei (vel eis) tantam Spiritus Sancti virtutem infundas, ut quicumque eam recitaverit (vel recitaverint ac secum portaverit (vel portaverint) atque in domo sua reverenter tenuerit (vel tenuerint), ab omni hoste visibili et invisibili semper et ubique in hoc saeculo liberetur [vel liberentur], et in exitu suo a

Bea-

Beatissima Virgine Maria tibi bonis operibus coronatus [vel coronata, seu coronati] praesentari mereatur [vel mereantur]. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Asperguntur Rosaria aqua benedicta a Sacerdote, dicente: Asperges me, etc. Sacerdos imponit habitum et cuilibet coram se genuflexo dicit:

Accipe, carissime Frater [vel carissima Soror] habitum Beatae Mariae Virginis, singulare signum servorum suorum, in memoriam Septem Dolorum, quos in vita et morte Unigeniti Filii sui sustinuit; ut ita indutus [vel induta], sub ejus patrocinio perpetuo vivas. ℟. Amen.

Reddit Rosarium, dicens:

Accipe Coronam Beatae Mariae Virginis, in memoriam Septem Dolorum suorum contextam; ut dum eam ore laudaveris, ejus poenas toto corde compatiaris. ℟. Amen.

Hortetur adscriptus ut regulas observet ad sacras indulgentias assequendas: denique datur benedictio.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris et Fi†lii et Spiritus Sancti, descendat super te (vel vos) et maneat semper. ℟. Amen.

RITUS
benedicendi et imponendi Scapulare rubrum Passionis, sacratissimique Cordis D. N. Jesu Christi, necnon et Cordis amantisssmi et compatientis B. M. V. immaculatae.

(Proprius Congreg. Missionis.)

Genuflexo, qui suscepturus est Scapulare, Sacerdos superpellicio et

et stola rubra indutus, capite detecto, dicat:

℣. † **Adjutorium nostrum in nomine Domini.**

℟. **Qui fecit coelum et terram.**

℣. **Dominus vobiscum.**

℟. **Et cum spiritu tuo.**

OREMUS.

DOmine Jesu Christe, qui tegmen nostrae mortalitatis induere dignatus, temetipsum exinanivisti, formam servi accipiens et factus obediens usque ad mortem Crucis; tuae largitatis clementiam humiliter imploramus, ut hoc genus vestimenti, quod in honorem et memoriam dolorosissimae Passionis tuae tuique Sacratissimi Cordis, necnon et Cordis amantissimi ac compatientis Immaculatae Matris tuae institutum fuit, atque ut illo induti haec mysteria devotius recolant, bene † dicere digneris, ut hic famulus tuus, qui [vel haec famula tua, quae, seu hi famuli tui, qui] ipsum gestaverit [vel gestaverint], te quoque, per tua merita et intercessionem Beatissimae Virginis Mariae induere mereatur [vel mereantur]. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Hic Sacerdos S. Scapulare aqua benedicta aspergit, et illud imponit, dicens:

Accipe carissime Frater [vel carissima Soror], hunc habitum benedictum, ut veterem hominem exutus [vel exuta] novumque indutus [vel induta], ipsum digne perferas et ad vitam pervenias sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde subjungit:

Et ego, ex facultate mihi concessa, recipio te (vel vos) ad

ad participationem omnium bonorum spiritualium, quae per Sanctae Sedis Apostolicae privilegium huic Sancto Scapulari, in gratiam Congregationis Missionis, concessa sunt. In nomine Patris et Fi † lii et Spiritus Sancti.
℟. Amen.

Denique dicatur trina vice versiculus sequens:

Te ergo quaesumus tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

E quinque superius relatis scapularibus, hoc rubrum scapulare est unicum quod requirit imaginem in tela lintea impressam.



INSTRUCTIO

Pro Sacerdotibus quibus Summus Pontifex facultatem delegat benedicendi Coronas, Rosaria, Cruces, Crucifixos, parvas statuas et sacra numismata cum adnexarum Indulgentiarum elencho.

Utriusque sexus Christifideles in primis admonitos vult Sanctitas Sua, ut quis consequi valeat Indulgentias, quas in praefata Benedictione concedit, necessario requiri aliquod ex enuntiatis Numismatibus, Coronis, etc. secum habere, aut apud se retinere.

Item orationes, devotasque preces infrascriptas, uti conditiones pro Indulgentiarum consecutione requisitas, unumquemque teneri recitare, vel secum deferendo, Coronam, Crucifixum, etc, vel si quis secum non habeat, eadem in cubiculo vel alio decenti loco suae habitationis retinere, et coram eis respectivas preces recitare debebit.

Praeterea ab hujusmodi Benedictione Sanctitas Sua rejicit Imagines sive impressas sive depictas, nec non Cruces, Crucifixos, parvas Statuas, Numismata, vulgo Medaglie nuncupata, quae ex ferro, stamno, plumbo, vel ex fragili alia materia, facilisque consumptionis conficiuntur.

Vult denique Sanctitas Sua Imagines et Icones benedicendas repraesentare Sanctos vel jam canonizatos, vel in Martyrologio Romano descriptos.

His

His pro clariori intelligentia praenotatis, Indulgentiarum series, quas quis consequi potest, nec non piorum operum implendorum elenchus recensetur, prout infra: videlicet.

Quicumque semel in singulas hebdomadas Coronam Domini, aut Beatissimae Virginis, vel Rosarium, ejusque tertiam partem, aut Officium sive divinum sive parvum ejusdem Beatissimae Virginis vel Defunctorum, aut septem Psalmos Poenitentiales vel Graduales recitabit; aut rudimenta Fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicujus domus hospitalis aegrotos visitare, aut pauperibus subvenire, aut Missam audire, vel, si sacerdos est, celebrare consuevit, si vere poenitens, et Sacerdoti per Ordinarium approbato confessus sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserit in quolibet ex diebus infrascriptis, nimirum diebus Festis Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimae Trinitatis, Corporis Christi; tum diebus Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis Beatae Mariae Virginis, necnon diebus Nativitatis S. Joannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Philippi et Jacobi, Bartholomei, Matthaei, Simonis et Judae, Mathiae, Sancti Josephi Sponsi B. Mariae Virginis, atque omnium Sanctorum, piasque ad Deum preces fuderit pro haeresum atque schismatum extirpatione, Fidei Catholicae propagatione, pace et Christianorum Principum concordia, ceterisque Romanae Ecclesiae necessitatibus, in unoquoque praefatorum dierum plenariam Indulgentiam consequetur.

Qui eadem aliis Festis Domini, aut B. Virginis Mariae peregerit, in quolibet eorum participet Indulgentiam septem annorum, ac totidem quadragenarum: qui vero quavis Dominica vel alio anni Festo, Indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum. Qui demum in alio quocunque anni die ea praestabit, Indulgentiam centum dierum.

Quicumque saltem semel in hebdomada recitare consuevit Coronam aut Rosarium aut Officium B. Mariae Virginis vel Defunctorum aut Vesperas, vel unum saltem ex Nocturnis et Laudes, aut septem Psalmos Poenitentiales cum litaniis, earumdem precibus, quo die id egerit Indulgentiam centum dierum acquiret.

Quis-

Quisquis animam suam Deo in articulo mortis devote commendans, ipsamque mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipere paratus, et vere poenitens, confessus ac Sacra Communione refectus, si valeat, alioquin contritus nomen Jesu ore, si potuerit, sin minus saltem corde invocaverit, plenariam Indulgentiam consequetur.

Quicumque ante Missae celebrationem vel sumptionem Eucharistiae, aut recitationem divini Officii vel parvi B. Mariae Virginis, aliquam devotam praeparationem praemiserit, quinquaginta dierum Indulgentiam qualibet vice id egerit, percipiet.

Qui detentos in carcere, aut aegrotos in Nosocomiis visitaverit, eos aliquo bono opere adjuvando, aut Doctrinam Christianam in Ecclesia vel domi filios aut propinquos aut famulos docuerit, toties Indulgentiam biscentum dierum consequetur.

Qui ad pulsum campanae alicujus Ecclesiae mane aut meridie aut vespere consuetas preces Angelus Domini etc., dicet, vel si eas ignoret, semel Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam, vel dato signo sub horam noctis orandi pro Defunctis Psalmum De Profundis, aut si hunc nescit, Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam recitabit, centum dierum Indulgentiam qualibet vice adipiscetur.

Eamdem pariter consequetur Indulgentiam qui feria sexta devote cogitaverit de Passione ac Morte Domini Nostri Jesu Christi, terque Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitaverit.

Quisquis vere poenitens peccata commissa emendare firmiter proponat, conscientiam suam excutiat, ter Oratione Dominica et Angelica Salutatione devote repetitis in honorem Sanctissimae Trinitatis, et ob reverentiam quinque Vulnerum Jesu Christi quinquies devote eamdem Orationem et Salutationem recitet, eamdem Indulgentiam consequetur.

Omnes et singulas antedictas Indulgentias unusquisque memoratis diebus poterit aut pro seipso adipisci, aut Fidelibus defunctis per modum suffragii applicare.

Declarat insuper Sanctitas Sua concessione praefata Indulgentiarum nullo modo derogari Indulgentiis, quas alii Summi Pontifices Praedecessores jam concessere pro nonullis ex supra indicatis piis operi-

operibus, volens easdem suorum Praedecessorum concessiones in suo robore permanere.

In distribuendis autem hujusmodi Coronis, Crucibus, etc. earumque usu Sanctissimus Dominus Noster servari jubet Decretum fel-recor. Alexandri VII. editum sub 6. Februarii 1657. nimirum, ut Coronae, Cruces, Rosaria, etc. ut supra benedicta, quoad Indulgentias non transeant personam illorum, quibus concessa sunt, aut quibus ab iis prima vice distribuuntur; nec aliqua re ex praedictis deperdita, pro ea subrogari altera ullo modo possit, quacumque concessione aut privilegio in contrarium non obstante; nec non eadem commodari, aut precario dari non possint pro Indulgentiarum communicatione, alioquin amittant Indulgentias jam concessas: tum etiam praefata post Pontificiam Benedictionem vendi non possint: juxta dispositionem Decreti Sacrae Congregationis Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum editi die 5. Junii 1721.

Insuper Sanctitas Sua confirmat Decretum fel. recor. Benedicti XIV. datum die 19. Augusti 1752. quo expresse declarat Missas ad Altare (in quo aliqua ex praefatis sive Crucifixi sive Numismatis Imago quoquo modo collocata fuerit) lectas, sive a Sacerdote hujusmodi Imaginem secum habente celebratas, vigore dictae Imaginis nullo prorsus gaudere privilegio.

Praeterea vetat, ne quisquam, quem Infirmis morti proximis assistere contigerit, Benedictionem cum Indulgentia Plenaria in articulo mortis, vigore hujusmodi Imaginis, illis impertiri audeat sine speciali facultate in scriptis obtenta, quoniam ad hujusmodi effectum in Constitutione Benedicti XIV. incipiente „Pia Mater", satis provisum jam fuit.

Ad applicandas Indulgentias expressas in supradicta Instructione, vel illas Divae Birgittae Coronis, Numismatibus et Crucibus sufficit, ut Sacerdos benedicat sola manu per signum crucis, nullis adhibitis verbis aut aqua benedicta. Sac. Cong. Indulg.—Attamen si vellet posset uti formula inferius posit (Modus benedicendi Cruces vel Numismata).—Sed ad applicandas Indulgentias speciales concessas Coronae Domini—Coronae septem Dolorum B. M. V.—Coronae Societatis Rosarii—Numismatibus S. Benedicti, necesse est, ut Sacerdos utatur formula praescripta pro unaquaque Corona sub poena nullitatis Indulgentiarum. S. C. (Urbis

Urbis et Orbis.

Cum in concedendis facultatibus benedicendi Coronas, aut Numismata nulla ut plurimum in Apostolicis Rescriptis fiat mentio specifica qualitatis Coronarum et Rosariorum, aut Crucis Imaginum, nonnulla oborta sunt dubia, nempe an nuncupatione Coronarum quaecumque Coronae et Rosaria, et nomine Numismatum etiam Cruces comprehendantur; idcirco relatis in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita dubiis, primo „An quando in Rescripto alicujus supplicationis conceditur facultas pro benedicendis Coronis intelligatur etiam concessa facultas benedicendi quascumque Coronas nec non Rosaria?" Secundo „An quando ut supra conceditur facultas benedicendi Numismata non expressa facultate pro Crucibus, possit etiam intelligi concessa facultas benedicendi Cruces?" Eadem Sac. Congregatio die 16. Januarii 1747 decernendum esse censuit, Ad 1m. „Intelligi quascumque Coronas et Rosaria cum communicatione Indulgentiarum in formula impressa dumtaxat contentarum." Ad 2m. Juxta eamdem formulam. De quibus facta per me infrascriptum Secretarium die 21 ejusdem mensis Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. Portocarrero Praef.
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secretarius.

Hinc patet quod, qui haberet facultatem (hoc vel aequivalenti modo expressam) benedicendi coronas precatorias, cruces et numismata, eisque applicandi Indulgentias a Sancta Sede concessas, non posset applicare Indulgentias speciales Divae Birgittae, neque illas concessas Coronae Domini–Coronae septem Dolorum B. M. V.–Coronae Societatis Rosarii–Numimatibus S. Benedicti,–Coronae quinque vulnerum (propriae Passionistarum) vel aliis Coronis, Crucibus et Numimatibus propriis alicujus Ordinis seu Congregationis Regularis nisi specialis mentio fiat. Quia mens Sanctae Sedis est tali facultate concedere illas solum Indulgentias, quae habentur in superius memorata Instructione. Hoc confirmatur ulterius sequenti responso Sac. Cong. Indulg. 29. Maii 1841 (in una Briocen.) Quaerebatur 7mo. loco. An qui obtinuit facultatem benedicendi Coronas preca-

precatorias, iisdemque Indulgentias impertiendi, habeat absque speciali privilegio facultatem quoque benedicendi et ditandi Indulgentiis Coronas Domini vulgo dictas Camaldulensium? Respondetur *negative*.

Sanctissimus Dominus Noster audito voto Sac. Congregationis Indulgentiis et Sac. Reliquiis praepositae, praevia revocatione omnium Indulgentiarum quomodolibet concessarum Coronis, quas vocant S. Birgittae, salvis tamen Indulgentiis iisdem Coronis concessis a S. M. Clemente X. 6 idus Julii 1675, concessit recitantibus quotidie per integrum annum praedictam Coronam S. Birgittae, dummodo sit saltem quinque decadum; Indulgentiam Plenariam cum facultate etiam applicandi Defunctis. Facta insuper declaratione quod Superiores dumtaxat Monasteriorum Ordinis S. Birgittae, seu Religiosi ejusdem Ordinis, qui fuerint ab illis specialiter ad id deputati, habeant facultatem supradictas Coronas benedicendi. Ita Sac. Congregatio diei 5. Septembris 1714.

(Verdunen.)

Enixis precibus Verdunensis Episcopus huic Sac. Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae exposuerat, quod hactenus Coronae deprecatoriae, Numismata sacra, Cruces antequam tali vel tali personae distribuantur, in globo benedicantur cum applicatione Indulgentiarum a Sacerdotibus qui hujusmodi facultatem a S. Sede impetraverunt; et exinde quaerebat, utrum valida sit benedictio, ita ut Indulgentias praedictas adnexas possit quisque lucrari. Proposito itaque dubio in generali Eminentissimorum Patrum Conventu in Palatio Apostolico Vaticano die 5. Martii 1855 habito, Sacra Congregatio, voto Consultoris audito, respondit „Affirmative"; et facta per me infrascriptum Sac. Congregationis Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX relatione in Audientia diei 12 ejusdem mensis, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congregationis die 12. Martii 1855.

F. Card. Asquinius Praef.
A. Colombo Secretarius.

Incerti

Incerti Loci.

1. Quando Coronis B. M. V. de licentia S. Sedis Apostolicae applicata fuit benedictio cum Indulgentiis Divae Birgittae nuncupatis, fideles illas Coronas recitantes tenenturne meditari quindecim Mysteria D. N. J. C. ut Indulgentias percipere valeant?

Sac. Congregatio respondit „*Negative.*"

2. Daturne eadem obligatio Mysteria meditandi, quando Coronis applicata fuit benedictio cum Indulgentiis ordinariis?

Sac. Congregatio respondit „*Negative*, si benedictio respiciat Indulgentias consuetas, quae citantur ut in elencho ex Typographia R. C. A. anno 1831 edito;" Affirmative si Coronae benedicantur cum Indulgentiis pro recitatione Rosarii.

3. Si affirmative respondeatur, oblatio specialis Mysteriorum debetne fieri antequam singulae decades recitentur?

Respondetur *Negative.*

4. Debetne fieri mentio specialis Mysterii in recitatione Salutationis Angelicae, dicendo, verbi gratia, post haec verba: Ventris tui Jesus haec alia: quem concepisti, vel quem visitando Elisabeth, vel quem peperisti, etc.?

Sac. Congregatio respondit „*Negative*, quia quando requiritur meditatio Mysteriorum pro acquirendis Indulgentiis, sufficit meditatio mentalis eodem tempore quo recitantur Oratio Dominicalis, et Angelicae Salutationes, ut ex alio Decreto Sacrae hujus Congregationis diei 12. Augusti 1726 in quo etiam mentio fit de personis idiotis, pro quibus sufficit tantum recitatio Rosarii absque Mysteriorum meditatione."

5. Estne libera electio Mysteriorum, quae honorari debent in recitandis Coronis B. M. V., aut danturne dies stricte determinati pro tali, vel tali genere Mysteriorum recolendo, ita ut tali die determinato recoli debeant Mysteria Gaudiosa, tali die Dolorosa, tali die Gloriosa?

Respondetur „Affirmative quoad primam partem; quoad vero secundam, invaluit consuetudo (ut per girum cujuslibet hebdomadae singula Mysteria percurrantur) recolendi Gaudiosa nempe in secunda et quinta feria: Dolorosa in tertia et sexta: Gloriosa tandem in Dominica, quarta feria, et sabatho, si tamen tertia tantum Rosarii

pars

pars in qualibet die recitetur."

6. Quando Summus Pontifex Indulgentiam quamlibet concedit Urbi et Orbi, ut fideles talem Indulgentiam in variis Dioecesibus lucrari possint, requiriturne ut haec Indulgentia ab Ordinariis Locorum promulgetur, an sufficit e contra ut certi sint praedictam Indulgentiam a Summo Pontifice concessam?

Respondetur „*Negative* quoad primam partem Affirmative quoad secundam."

Die 1. Juli 1839.

Cardicen.

Episcopus Cardicensis a S. C. Indulgentiarum solutionem exposcit dubiorum, quae sequuntur.

1. Utrum Jerosolymorum Coronae Indulgentias amittant, si alicui donentur?

Sac. Congregatio respondit „Affirmative; quoties non dentur immediate, vel mediate a persona facultatem habente eas distribuendi.

2. Utrum post mortem Domini, alter acquirat dominium earum, nempe Indulgentiarum?

Sac. Congregatio respondit „*Negative*, quia Indulgentiae non transeunt personam prioris domini.

3. Si rumpatur illarum filum sive voluntarie, ut catenis nectantur, sive involuntarie, et fortuito id acciderit?

Sac. Congregatio respondit „*Negative*, quia Coronae eaedem perseverent quoad formam moralem."

4. Si globuli quatuor, vel quinque deperdantur?

Respondetur „*Negative* ex allata ratione in praecedenti responsione".

5. Si amico praestentur, seu commodentur, sive ad Coronam simpliciter recitandam, sive ad Indulgentias lucrandas.

Sac. Congregatio respondit „*Negative* in primo casu: Affirmative in secundo." Ut enim pereant Indulgentiae Coronis aliisque rebus mobilibus affixae requiritur finis dandi vel praestandi pro communicatione Indulgentiarum sicuti expresse legitur in Elencho Indulgentiarum typis impresso, et a Sac. Congregatione approbato." Ita declaravit Eadem Sac. Congregatio die 10. Januarii 1839.

Incer-

Incerti Loci in Gallia.

Quærebatur 6o. Utrum Indulgentia concessa cadat solum in Christo ex aere, ligno, vel alia quaque materia facto, ita ut possit ex una Cruce in aliam transferri absque periculo amittendi Indulgentiam ipsi collatam? Sac. Congr. respondit „Affirmative.“

Die 14. Aprilis 1840.

Briocen.

Quaerebatur 12o. An, quando possessor Coronae Domini, vel Crucis, cui applicatae sunt Indulgentiae Viae crucis, preces praescriptas recitat una cum aliis, qui sibi non habent sive coronam, sive Crucem tali privilegio ditatam, possint adstantes, et simul recitantes easdem Indulgentias lucrari, quas lucratur possessor Coronae seu Crucis? Respondetur „*Negative* absque speciali facultate. S. C. 29. Maii 1841.

An aliqua ratione fieri possit, ut Rustici, qui sacra Numismata suscipiunt a nonnullis, a quibus Christiana Doctrina imbuuntur, eadem Numismata absque Indulgentiae detrimento aliis tradere valeant? S. C. 25. Feb. 1711. respondit - *Negative.*

Valentinen.

Quaerebatur 2o. An qui emit Cruces, Numismata &c. ut ea distribuat postquam benedicta fuerint, cum applicatione Indulgentiarum, possit horum petere pretium ab accipientibus, sine culpa, vel sine periculo Indulgentias amittendi? S. C. 22. Feb. 1847 respondit–*Negative.*

Urbis et Orbis.

Quaerebatur 3o. An uni et eidem rei, puta, uni Coronae, possint applicari Indulgentiae diversae v. g. Indulgentiae dictae Apostolicae, et Indulgentiae dictae S. Birgittae? S. C. 1. Mart. 1820 respondit – Affirmative, dummodo renoventur opera injuncta iterabilia.

Rothomagen.

Plures Sacerdotes Dioecesis Rothomagensis Sac. Congregationi dubia quaedam solvenda proponunt, ut infra.

1. An benefaciant benedicendo Coronas ordinarias quinque decadum cum applicatione Indulgentiarum Divae Birgittae nuncupatarum?

Sac.

Sac. Congregatio respondit „*Negative*, nisi Sacerdotes peculiares habeant facultates ab Apostolica Sede impetratas, quaeque in concessionibus exprimuntur per illa verba, aut similia „ac etiam applicandi Indulgentias Sanctae Birgittae nuncupatas" per ista enim verba, aut similia, non datur facultas benedicendi Coronas Birgittinas, (quae sex decadibus constant, totidemque orationibus dominicis, et Apostolicis Symbolis, atque in fine una alia Oratione Dominica, tribusque Salutationibus Angelicis) sed traditur potestas benedicendi Coronas communes (id est quinque, vel quindecim decadum) cum Indulgentiis quoque, quae propriae sunt Coronarum Divae Birgittae. Ita Sac. Congr. in Atrebatensi 25. Septembris 1841, in Rothomagensi 24. Januarii 1842. et nunc 28. ejusdem mensis.

2. An fideles illas Coronas sic benedictas recitando, revera Indulgentias Birgittinas lucrentur?

Sac. Congregatio respondit „Satis responsum in primo."

BENEDICTIO ROSARIORUM B. M. V.

(Propria Ordinis Praedicatorum.)

℣. † Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, qui propter eximiam caritatem tuam, qua dilexisti nos, Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum de coelis in terram descendere, et de Beatissimae Mariae Dominae Nostrae utero sacratissimo, Angelo nuntiante carnem suscipere, crucemque ac mortem subire, et tertia die gloriose a mortuis resurgere voluisti, ut nos eriperes de potes-

potestate diaboli: obsecramus immensam clementiam tuam, ut haec signa Rosarii in honorem et laudem ejusdem Genitricis Filii tui ab Ecclesia tua fideli dicata bene † dicas et sancti † fices, eisque tantam infundas virtutem Spiritus Sancti, ut quicumque horum quodlibet secum portaverit, atque in domo sua reverenter tenuerit, et in eis ad te, secundum ejusdem sanctae Societatis instituta, divina contemplando mysteria devote oraverit, salubri, et perseveranti devotione abundet, sitque consors et particeps omnium gratiarum, privilegiorum et indulgentiarum quae eidem Societati per sanctam Sedem Apostolicam concessa fuerunt, ab omni hoste visibili et invisibili semper et ubique in hoc saeculo liberetur, et in exitu suo ab ipsa Beatissima Virgine Maria Dei Genitrice tibi plenus bonis operibus praesentari mereatur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, etc. ℟. Amen.

Deinde aspergantur aqua benedicta.



BENEDICTIO CORONAE DOMINI.

(Propria Ordinis Camaldulensium.)

℣. † Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Benedices Coronae anni benignitatis tuae.
℟. Et campi tui replebuntur ubertate.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

ORE-

OREMUS.

DOmine Jesu Christe, qui in similitudinem hominum factus, triginta et tribus annis es conversatus in mundo, et multa passus pro hominum salute, in Cruce demum mori voluisti; dignare quaesumus, hanc (vel has) bene † dicere et sancti † ficare Coronam, quam (vel Coronas, quas) Beato Michaeli Eremitae Camaldulensi ad Vitam, Passionem et Mortem tuam recolendam instituere jussisti (vel inspirasti), ut qui eam (vel eas) pie gestaverit (vel gestaverint) et devote recitaverit (vel recitaverint) multiplici gratiarum et indulgentiarum consecutione Coronas in coelo aeternas obtinere mereatur [vel mereantur]. Per te Jesu Christe, Salvator mundi, qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergantur aqua benedicta.

RITUS
benedicendi Coronas septem Dolorum.

(Vide Scapulare septem Dolorum B. M. V. pag. 30.)

Praeponantur Orationi „Omnipotens et misericors Deus &c." pag. 31.

℣. ℣. † Adjutorium. Dominus vobiscum.

MODUS
benedicendi Cruces, Numismata, Coronas vel Rosaria.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Domi-

℣. **Dominus vobiscum.**
℟. **Et cum spiritu tuo.**

OREMUS.

OMnipotens Deus, qui Crucis signum pretioso Filii tui sanguine dedicasti, quique per eamdem Crucem mundum redimere voluisti, et per virtutem ejusdem venerabilis Crucis humanum genus ab antiqui hostis chirographo liberasti, te suppliciter exoramus, ut digneris has cruces [haec numismata, vel hanc crucem, aut hoc numisma) paterna pietate bene † dicere, et coelestem eis virtutem et gratiam impertire, ut quicumque eas [ea, aut illud] in passionis et Crucis Unigeniti tui signum ad tutelam corporis et animae super se gestaverint, coelestis gratiae plenitudinem in eis et munimen valeant tuae benedictionis accipere. Quemadmodum virgam Aaron ad rebellium perfidiam repellendam benedixisti, ita et haec signa tua dextera bene † dic, et contra omnes diabolicas fraudes virtutem eis tuae defensionis impendas; ut portantibus illa animae pariter et corporis prosperitatem conferant salutarem, et spiritualia in eis dona multiplicent. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit aqua benedicta, dicens:

In nomine Patris †, et Filii, et Spiritus sancti. ℟. Am.

Summus Pontifex olim vetuit ferrum benedici: nunc autem indulget, ut id fiat.

METHODUS
Pro erigendis Stationibus Viae Crucis.

(Propria Ordinis Minorum Observantium S. Francisci.)

Sacerdos superpelliceo et stola violacei coloris indutus uno saltem cleri-

clerico adhibito, qui ei opportuno tempore porrigere possit vasculum Aquae benedictae cum aspersorio, et thuribulum cum incensi navicula, ascendit Altare, ibique stans brevi sermone super praestantia et utilitate pii exercitii Viae Crucis populum alloquetur: deinde genuflexus in infimo gradu intonabit:

Hymnum.

Veni, Creator Spiritus
Mentes tuorum visita
Imple superna gratia,
Quae tu creasti, pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, caritas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus Paternae dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore sic te praevio
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit ac Paraclito,
In saeculorum saecula. Amen.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terrae.

OREMUS.

DEus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Defende, quaesumus Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, populum istum [vel Familiam istam] ab omni adversitate, et toto corde tibi prostratum [vel prostratam] ab hostium propitius tuere clementer insidiis.

Actio-

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

Benedictio Tabularum Pictarum.

(si adsunt.)

℣. † Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui sanctorum tuorum imagines sculpi, aut pingi non reporbas, ut quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus, et sanctitatem ad imitandum memoriae oculis meditemur; has quaesumus imagines in honorem, et memoriam Unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi adaptatas bene † dicere, et sancti † ficare digneris, et praesta: ut quicumque coram illis Unigenitum Filium tuum suppliciter colere et honorare studuerit, illius meritis, et obtentu, a Te gratiam in praesenti, et aeternam gloriam obtineat in futuro. Per eumdem Christum, etc.

Tunc Sacerdos eas aspergit aqua benedicta, et incensat. In Oratorio privato omitti potest incensatio.

Bene-

Benedictio Crucium,
quae ex ligno esse debent.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

ROgamus te, Domine sancte, Pater omnipotens, sempiterne Deus, ut digneris bene † dicere haec signa crucis tuae, ut sint remedia salutaria generi humano; sint soliditas fidei, bonorum operum profectus, et redemptio animarum; sint solamen, et protectio, ac tutela contra saeva jacula inimicorum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OREMUS.

BEne † dic, Domine, has cruces, quia per crucem sanctam tuam eripuisti mundum a potestate daemonum, et superasti Passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in praevaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem.

Tunc Sacerdos eas aspergens, dicat:

Santificentur ista crucis signa in Nomine Pat † ris, et Fi † lii, et Spiritus † Sancti, ut orantes, inclinantesque se propter Deum ante istas cruces inveniat sanitatem animae, et corporis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde cantatur sequens:

Hymnus.

Vexilla Regis prodeunt,
Fulget crucis mysterium:
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.

Quae vulnerata lanceae
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda, et sanguine.

Implota

Impleta sunt, quae concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno Deus.

Arbor decora et fulgida,
Ornata regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.

Beata, cujus brachiis
Pretium pependit saeculi,
Statera facta corporis,
Tulitque praedam tartari.

O crux, ave, spes unica,
Hoc passionis tempore,
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.

Te, fons salutis Trinitas,
Collaudet omnis spiritus:
Quibus crucis victoriam
Largiris, adde praemium. Amen.

Hymnus.

Stabat mater dolorosa
Juxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius.

Cujus animam gementem,
Contristatam et dolentem,
Pertransivit gladius.

O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta.
Mater Unigeniti!

Quae moerebat, et dolebat,
Pia mater dum videbat
Nati poenas inclyti.

Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio?

Quis non posset contristari
Christi matrem contemplari
Dolentem cum Filio?

Pro peccatis suae gentis
Vidit Jesum in tormentis,
Et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem Natum
Moriendo desolatum,
Dum emisit spiritum.

Eja, mater fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.

Fac, ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam. Amen.

Sacerdos accedens ad locum primae Stationis, osculatur Crucem et tabulam, easque, vel per se, vel per laicum decenti habitu indutum, collocat in loco ad id praeparato; deinde legit meditationem et preces huic Stationi respondentes: quod et fiet in ceteris stationibus. Quibus finitis, cantatur sequens:

Hymnus.

Hymnus.

Te Deum laudamus: * te Dominum confitemur.
Te aeternum Patrem * omnis terra veneratur.
Tibi omnes angeli, * tibi coeli et universae potestates:
Tibi Cherubim et Seraphim * incessabili voce proclamant:
Sanctus, * Sanctus, * Sanctus Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt coeli, et terra * majestatis gloriae tuae.
Te gloriosus * Apostolorum chorus.
Te Prophetarum * laudabilis numerus.
Te Martyrum candidatus * laudat exercitus.
Te per orbem terrarum * sancta confitetur Ecclesia.
Patrem * immensae majestatis.
Venerandum tuum verum, * et unicum Filium.
Sanctum quoque * Paraclitum Spiritum.
Tu Rex * gloriae Christe.
Tu Patris * sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem * non horruisti Virginis uterum.
Tu devicto mortis aculeo * aperuisti credentibus regna coelorum.
Tu ad dexteram Dei sedes * in gloria Patris.
Judex * crederis esse venturus.
Te ergo, quaesumus, tuis famulis subveni, * quos pretioso sanguine redemisti.
Aeterna fac cum sanctis tuis * in gloria numerari.
Salvum fac populum tuum, Domine, * et benedic haereditati tuae.
Et rege eos, * et extolle illos usque in aeternum.
Per singulos dies * benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in saeculum, * et in saeculum saeculi.
Dignare, Domine, die isto, * sine peccato nos custodire.
Miserere nostri, Domine, * miserere nostri.
Fiat misericordia tua, Domine, super nos, * quemadmodum speravimus in te.
In te, Domine, speravi: * non confundar in aeternum.

℣. **Benedicamus Patrem, et Filium cum sancto Spiritu**
℟. **Laudemus, et superexaltemus eum in saecula.**

ORE-

OREMUS.

Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Tunc Sacerdos benedicit populum cum cruce.



Si Sacerdos jam munitus fuerit facultate Apostolica erigendi Stationes Viae Crucis, postulationem ad Episcopum, si sermo sit de Ecclesiis aut Oratoriis publicis; (vel ad Abbatem, si agatur de Oratoriis Domesticis Monasterii) hujusmodi faciat. Intus:

Illme. et Rme. Dne.

N. N. Sacerdos O. S. B. Congregationis Americano-Cassinensis, humillime petit ut Amplitudo Tua dignetur, ad promovendam devotionem erga Xti. Dni Passionem et in suffragium fidelium defunctorum, licentiam concedere ut ipse Orator possit, vigore facultatis Apostolicae (per Rescriptum S. C. de Propaganda Fide) vel (per concessionem Ministri Generalis totius Ord. Minorum) diei......, in Ecclesia N. Stationes Viae Crucis rite benedicere et erigere.

Quare etc.

Foris vero: Illmo. et Rmo. Dno., Dno. N. Episcopo (vel N. Abbati) pro N. N. Sacerdote O. S. B.

Secuta erectione, documentum conficiat ad Episcopum (vel ad Abbatem) una cum concessione transmittendum, testimonium vero in codicibus Ecclesiae vel Oratorii relinquat. Super Rescriptum Episcopi (vel Abbatis) sic scribat:

Vigore facultatis Apostolicae die.....datae et de consensu Illmi. et Rmi. Dni Episcopi (vel Abbatis) ut supra in scriptis dato, ego N. N. Sacerdos O. S. B. Viam Crucis cum annexis in Ecclesia de qua in precibus die.....erexi juxta regulas a. S. Indulgentiarum Congregatione die 10. Maji 1742 praescriptas.

In quorum fidem testimonium hoc mea manu exaravi hac die etc.

In

In Archivio Ecclesiae vel Oratorii documentum hujusmodi relinquat:

Ego infrascripitus fidem facio et testor me, vigore facultatis Apostolicae mihi sub die....concessae et de consensu Illmi. et Rmi. Dni. N. Episcopi (vel N. Abbatis) debite in scriptis praestito et in Archivio Episcopali (vel Abbatiali) assservato, Viam S. Crucis in Ecclesia N. cum omnibus privilegiis et indulgentiis (juxta regulas a S. C. Indulgentiarum die 10. Maji 1742. praescriptas) die.....rite benedixisse et erexisse. In quorum fidem testimonium hoc manu propria scripsi et subscripsi hac die......

Quatenus autem Sacerdos nullam talem a S Sede obtinuerit facultatem, Viam Crucis erigere volens, supplicem libellum Episcopo mittat: (et si Ecclesia sit Ordinis Nostri consensus etiam Abbatis habeatur) NN. etc. prout supra......defunctorum, eundem Oratorem subdelegare ut possit Auctoritate Apostolica Stationes Viae Crucis in Ecclesia N. rite benedicere et erigere.

Et in testimonio scribat: Vigore praefatae commissionis mihi ab Illmo. et Rmo. Dno. Episcopo N. sub die......factae etc.

MONITA.

Quaeritur. An in peragendo Viae Crucis exercitio semper necessario requiratur localis motus de una Statione ad aliam pro acquirendis Indulgentiis pium hujusmodi opus peragentibus? „*Negative*"; et pro publico exercitio Viae Crucis quando perturbatio excitari potest, observetur methodus a P. Leonardo a Portu Mauritio proposita, ut videlicet unoquoque de populo suum locum tenente Sacerdos cum duobus Clericis sive Cantoribus circumeat, ac sistens in qualibet Statione, ibique recitans peculiares consuetas preces, caeteris alternatim respondentibus S. C. Indulgent. 23. Jul. 1757. Corporis tamen motus e. g. stando et genuflectendo requiritur 26. Feb. 1841.

An qui exercitium Viae Crucis peragunt et illud ad modicum tempus interrumpunt, puta ad audiendum Sacrum, ad sumendam Eucharistiam, ad Confessionem faciendam, etc. Indulgentias lucrentur, si illud prosequantur, vel ad Indulgentiae acquisitionem oporteat in iis casibus illud ab initio reasumere?

Sac. Cong. die 16. Dec. 1760 respondit: Affirmative quoad primam partem, *Negative* quoad secundam. Nempe non teneri ad reasumendum, quia non interest moralis interruptio, neque divergitur ad

actus

actus extraneos, in quo tantum casu dicitur actio discontinuata.

Proposito dubio Utrum Indulgentiae Viae Crucis adnexae uti caeterae possint noctu obtineri, opera injuncta adimplendo? Affirmative S. C. Indulgent. 1. Mart. 1819.

In Erectione Viae Crucis necessario requiruntur 14 Cruces S. C. Ind. 13. Nov. 1837. Indulgentiae Crucibus tantum sunt adnexae, quae quidem tantum sunt benedicendae, minime vero imagines per quas designantur Stationes. S. C. Indul. 30. Januar. 1839. Possunt tamen Imagines benedici, si adsunt. Appendix ad Rituale Romanum Auctoritate S. R. C. approbata.

Si Cruces primitus benedictae omnino pereunt, iterum canonica erectio necessaria est: si pereant ex minori parte, licet alias illis substituere absque ulla benedictione: si penitus tolluntur aliqua peculiari ratione, et ad tempus tantum ut denuo eidem loco restituantur nec erectione nec benedictione opus erit ad Indulgentias lucrifaciendas. S. C. 30. Januar 1839. Petitiones pro erectione Viae Crucis fierine debent cui de jure in scriptis sub poena nullitatis concessionis, vel sufficiat, quod facta sint oretenus? Sac. Cong. respondit: Quanquam in scriptis ac de consensu Ordinarii, et loci patroni optanda sit petitio, tamen si oretenus, sub poena nullitatis: *Negative*: 27. Januar. 1838. Cruces novae debent benedici a Sacerd. facult. hab.

Tempus pro confectione documenti secutae Erectionis Stationum Viae Crucis vigore Apostolici Indulti, non est determinatum, sed expedit ut quamprimum conficiatur juxta Apostolicam Concessionem, ne dubia in posterum oriantur. S. C. Indul. ut supra. Mutatio Tabularum et Crucium de loco in locum in eadem Ecclesia secum non importat annihilationem Indulgentiarum Viae Crucis adnexarum S. C. 22. Aug. 1842. Benedictione Tabularum et Crucium facta a sacerdote legitime delegato, alter quicumque Tabulas collocare potest privatim sine caeremoniis, et etiam in alio tempore. S. C. ut supra.

(N. B. S. C. loquitur de collocatione solum Tabularum, ac proinde Cruces videntur collocandae, vel saltem tutius esset, ut collocarentur a Sacerdote legitime delegato.)

An Indulgentiae concessae visitantibus Viae Crucis Stationes, datae sint ob Christi Domini Passionis meditationem contemplandam in genere, an vero taxative pro meditatione illarum Stationum quartuordecim, quae a fidelibus generaliter cognoscuntur? S. C. respondit

pondit *Negative* quoad primam partem; Affirmative quoad secundam. 16. Febr. 1839.

An sit necessarium pro consideratione hujusmodi Mysteriorum Passionis nonnullas Meditationes, Preces et Aspirationes componere eisdem Mysteriis correspondentes? S. C. respondit: „*Negative* quoad necessitatem: expediens tamen erit legere Meditationes, seu Preces illis Passionis Mysteriis correspondentes, et juxta usum introductum recitare unum Pater et Ave ad singulam Crucem, et elicere actum Contritionis. 16. Feb. 1839.

Utrum qui obtinet diversas facultates ab Apostolica Sede, scilicet Altaris Privilegiati personalis, erigendi Stationes Viae Crucis, benedicendi Cruces, numismata, debent exhibere dictas facultates Ordinario, etiamsi nulla mentio facta sit in concessionum rescriptis? S. C. respondit, Affirmative quoad Viae Crucis erectionem: *Negative* relate ad alias facultates, nisi aliter dispositum in obtentis concessionibus. In Valentina, 5. Feb. 1844.

Non est de necessitate praecepti, ut ad acquirendas Indulgentias incipiendum sit pium exercitium Viae Crucis a cornu Evangelii, haec tamen est consuetudo et praxis generalis, quae piis est innixa congruentiae rationibus. In Brugensi, 13. Mart. 1837.

Imago Crucifixi, quae benedicitur pro infirmis, vel aliis impeditis ad finem consequendi Indulgentias Viae Crucis, potest esse de quacunque materia quae non sit fragilis, sed Imago debet esse prominens. S. C.

Nulla formula requiritur pro hujusmodi benedictione: sufficit signum Crucis sola manu factum. Qui vellet, possit uti forma superius posita in Erectione Stationum pro Crucibus (pag. 49.). S. C.



In Decreto (Rothomagen.) pag. 42. Sequentia omissa fuere.

3. An ad lucrandas istas Indulgentias meditandum sit in singulis decadibus super uno ex quindecim mysteriis laetis videlicet, dolorosis, et gloriosis?

Sac. Congregatio respondit „Affirmative, et juxta Decretum Sacrae Congregationis diei 12. Augusti 1726."

4. An sufficiat ad hanc meditationem praemittere sequentes, aut

similes

similes formulas: in prima decade: In hoc primo Mysterio laeto considerabimus, ut Angelus Gabriel nuntiavit B. M. Illam concepturam, et parituram Dominum Nostrum Jesum Christum: in secunda decade: in secundo Mysterio laeto considerabimus, ut B. V. audito suam cognatam Sanctam Elisabeth esse praegnantem, statim ad illam profecta est, et ad illam mansit tribus mensibus, et sic in caeteris?

Sac. Congregatio respondit „Affirmative, et juxta Constitutionem sa. me. Benedicti XIII. quae incipit „Pretiosus" sub die 26. Maii 1727. Animadvertendum autem est, quod pro personis idiotis, quibus nulla est capacitas talia mysteria meditandi, satis est Rosarium tantum devote recitare."

5. An, quando Sanctissimus, etc. concessit aliquam Indulgentiam ab omnibus fidelibus lucrandam, sua intentio sit, ut omnes fideles illam possint lucrari statim ut illis de concessione Sanctissimi constat, an necessarium sit antea ut Ordinarii Locorum hanc Indulgentiam recognoverint, ac in suis Dioecesibus respectivis promulgaverint?

Sac. Congregatio respondit „*Negative* quoad primam partem; Affirmative quoad secundam". Die 28. Januarii 1842.

MONITA
pertinentia ad Administrationem Sacramentorum.

DE OLEIS.

Sacerdotes Curam animarum exercentes pro sua commoditate apud se in domibus suis retinent Sanctum Oleum Infirmorum.

Quaeritur An, attenta consuetudine, hanc praxim licite retinere valeant? „*Negative* et servetur Rituale Romanum, excepto tamen casu magnae distantiae ab Ecclesia: quo in casu omnino servetur etiam domi Rubrica quoad honestam, et decentem, tutamque custodiam." S. R. C. 16. Dec. 1826.

An

An praeter casum a Rituali Romano praevisum titulo de Sacramento Extremae Unctionis num. 3., in quo de Sacro Oleo adhibendo in hoc Sacramento haec habentur: „Id tamen, si forte intra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico alio non benedicto in minori quantitate superinfuso reparari potest," liceat unquam Sacris Oleis Feria quinta in Coena Domini benedictis aliam olei non benedicti quantitatem addere? An haec additio saltem fieri possit eadem Feria quinta in Coena Domini, adeo ut pars tantum Olei subjiciatur benedictioni, et immediate misceatur cum Oleo non benedicto? – *Negative*, sed in casu tantum necessitatis fieri potest additio, uti in Rituali praescribitur." Sac. Rit. Cong. 7. Decemb. 1844.

In Fontis Benedictione infundi debent in aquam baptismalem Olea Sacra nondum renovata, si attentis omnibus temporum circumstantiis difficulter recipi possint Olea noviter consecrata. S. R. C. 23. Sept. 1837: quo casu Baptisma conferri debet cum aqua recens consecrata, licet in ipsam infusa sint Olea praecedentis anni. S. R. C. ibid. Aqua sic benedicta in Sabbato Sancto, debet servari usque ad Vigiliam Pentecostes, in quo benedicitur Fons cum novis Oleis, si sint recepta. S. R. C. ibid. Infantes in casu praedicto ungendi sunt cum Oleis anni praeteriti. S. R. C. ibid.

Qui Fontem benedicendi facultatem habent, et ante benedictionem Olea Sacra recipere non potuerunt, illa subinde privatim, et separatim in aquam mittere poterunt. S. R. C. 12. April 1755.

De Baptismo.

Benedictio Fontis facienda est etiam in Vigilia Pentecostes. Contraria consuetudo declaratur abusus. S. R. C. 7. Decemb. 1844.

In Benedictione Fontis aquae baptismalis benedictio fieri potest extra vas Baptisterii, ubi adest consuetudo, sed olea infundenda sunt in vas Fontis. S. R. C. 7. April. 1832.

Baptismum administraturus Parochus vel alius Sacerdos infirmo morti proximo, etsi secum habeat sacra Olea, nihilominus omnia omittere debet, quae Baptismum praecedunt. Potest tamen juxta Rituale Romanum uti aqua baptismali et linire chrismate, si haec habeat, et praebere vestem candidam et candelam accensam cum debitis formis. S. R. C. (apud Gardellini 4572) 23. Sept. 1820. Adul-

Adulto Catholico valide post nativitatem baptizato, sed omissis caeremoniis, illae adhibeantur caeremoniae et preces, quae pertinent ad baptismum infantium. S. R. C. 27. Aug. 1836.

Adulto baptizato apud haereticos adhibeantur illae caeremoniae et preces, quae pertinent ad Baptismum Adultorum, nisi Episcopus rationabili de causa dispenset a caeremoniis servandis: sed si prudens adsit dubium de validitate Baptismi, talis adultus haereticus baptizetur rite sub conditione. S. R. C. ut supra.

Amen non est addendum Formae Baptismatis. S. R. C. 9. Jun. 1853.

Exsufflatio in faciem Infantis fieri debet ore lato, non stricto, ut expiratio sit tepida, non frigida, ne noceat Infanti. (Baruffaldi.)

Insufflatio in Adultis fit graviter, et strictis labiis. (Baruffaldi.)

Manus impositio sufficit si fiat moraliter, et sit quasi impositio, nec tangatur caput baptizandi. (Baruff.)

Advertat Sacerdos, ne multum salis in os infantis immittat, quia valde nocivum esset. Ideo dicit Textus *modicum salis*, et sufficit parvum granum impalpabile. (Baruff.)

In Baptismo Parvulorum praescribit Rituale, ut porrigatur, seu imponatur extrema pars stolae Infanti et ad Ecclesiam ducatur. In Baptismo Adultorum latius loquitur, et primo proponit, ut Sacerdos apprehendat dexteram Catechumeni, deinde porrigat stolam. Istae duae actiones ad libitum ministri baptizantis sunt: tutior magis amplexanda est, ut Foeminis porrigat stolam, Masculis vero dexteram. Porrectio manus non debet fieri, ut manus manum stringat, sed oportet, ut fiat ad pulsum, et prope manum, quod non omnino decens esset in Foeminis adultis. Insuper haec indroductio debet fieri in communi per vocem *ingredimini*, quando sint plures baptizandi, et sufficit, ut uni tantum, sive Masculo, sive Foeminae porrigat stolam, seu manum eo modo supra enunciato. Si omnes Foeminae sint, porrigatur stola primae illarum: si vero fuerint Masculi, apprehendatur primus per dexteram: si vero et Masculi, et Foeminae accedant ad Baptismum, Masculo danda est manus vel stola. Isti postea catervatim, manus sibi invicem porrigendo, sequantur ductorem suum, facientes unum ductum et comitatum cum eo. Advertat Minister ultimo, quod porrigere debet manum sinistram, vel partem stolae ad latus sinistrum pendentis, non ob a-

lium

lium finem, nisi quia manus dextera ei liberior relinquitur ad operandum, vel quia pars dextera est nobilior, et est concedenda Ministro Sacerdoti, qui in illo casu est persona ceteris dignior. (Baruff.)

Susceptio Infantis ex parte Patrini et Matrinae debet esse non tantum intentionalis sed materialis: uterque enim ex praescriptione Ritualis tangere debet Infantem, quia iste tactus physicus requiritur ad contrahendam cognationem spiritualem in suscipiendo Infante de loco Sacro, excepto casu Baptismi, in quo Patrinus fiat per Procuratorem: quia tunc Sacra Congr. Concilii censuit cognationem contrahi a mandante, non vero a Procuratore (in una Veronen. 29. Mart. 1582. Advertant Patrini in suscipiendo Infante, ut illum teneant, faciem habentem pronam supra Vas, in quo labi debet Aqua, e capite decidens, dum Sacerdos eam versat: non enim supra faciem versanda est, sed supra verticem capitis. (Baruff.)

Nihil loquitur Textus de abstersione Infantis post lavacrum in parte, qua madefactus est: Hanc debet facere Sacerdos, qui baptizavit, linteolum candidum ad hunc usum tantummodo destinatum adhibendo, leniter, et suaviter tergens caput Infantis Aqua humefactum.

De Sacramento Eucharistiae.

INSTRUCTIO

a S. R. C. die 12. Sept. 1857. edita pro Sacerdote Apostolicam facultatem habente bis Missam eadem die celebrandi.

Quando Sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet, in prima dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super corporale ponat Calicem et palla tegat, ac junctis manibus in medio Altari dicat: *Quod ore sumpsimus, etc.* et subinde admoto aquae vasculo digitos lavet dicens: *Corpus tuum* et abstergat. Hisce peractis Calicem super Corporale manentem adhuc, deducta palla cooperiat ceu mos est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla, et demum velo. Post haec Missam prosequatur, et completo ultimo Evangelio rursus stet in medio Altaris, et detecto Calice, inspiciat an aliquid divini Sanguinis nec ne ad imum se receperit, quod plerumque contingit. Quamvis enim sacrae

sacrae species primum sedulo carptae sint, tamen dum sumuntur, cum particulae, quae circum sunt, undequaque sursum deserantur, non nisi deposito Calice ad imum redeunt. Si itaque divini Sanguinis gutta quaedam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur, et quidem ex eadem parte qua ille primum sumptus est. Quod nullimode omittendum est, quia Sacrificium moraliter durat, et super extantibus ahhuc vini speciebus ex divino praecepto compleri debet.

Postmodum Sacerdos in ipsum Calicem tantum saltem aquae fundat, quantum prius vini posuerat, eamque circumactam ex eadem parte, qua S. Sanguinem biberat in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum Purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit atque ab altari discedat. Depositis vestibus sacris, et gratiarum actione completa, aqua e Calice demissa pro rerum adjunctis vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus Sacerdos redeat Missam habiturus) et in secunda purificatione in Calicem demittatur, vel gossypio aut stupa absorta comburatur, vel in Sacrario si sit exsiccanda relinquatur, vel demittatur in piscinam.

Cum autem Calix quo Sacerdos primum est usus purificatus jam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, eum secum deferat: secus vero in altera Missa diverso Calice uti poterit.

Cum superior S. R. C. Instructio nonnisi casum respiciat, quo Sacerdos duas Missas dissitis in locis eadem die sit celebraturus; operae pretium visum est ex Commentariis Bartholomaei Gavanti et Cajetani Mariae Merati hunc ritum adjungere a Sacerdote servandum cum utramque Missam in eadem Ecclesia offerre debet.

Hoc itaque in casu Sacerdos post haustum in prima Missa diligenter Sanguinem Domini, omissa consueta purificatione, patena calicem et palla patenam tegens ac super corporale relinquens dicet junctis manibus: Quod ore sumpsimus, Domine, etc. Deinde digitos, quibus SS. Sacramentum tetigit, in aliquo vase mundo ad hoc in Altare praeparato abluet, interim dicens *Corpus tuum Domine, etc.*, abstersisque purificatorio digitis calicem velo cooperiet, velatumque ponet super corporale extensum. Absoluta Missa si nulla in Ecclesia sit sacristia calicem eodem modo super Altare relinquet; secus vero in Sacristiam deferet, ibique super Corporale vel pallam in aliquo loco decenti et clauso collocabit usque ad secundam Missam, in

in qua, cum eodem calice uti debeat, illum rursus secum deferet ad Altare, ac super corporale extensum reponet. Cum autem in secunda Missa Sacerdos ad Offertorium devenerit, ablato velo de Calice hunc parumper versus cornu Epistolae collocabit sed non extra corporale, factaque hostiae oblatione cavebit ne purificatorio extergat calicem, sed eum intra corporale relinquens leviter elevabit, vinumque et aquam eidem caute imponet, ne guttae aliquae ad labia ipsius Calicis resiliant, quem deinde nullatenus ab intus abstersum more solito offeret.

MODUS

S. Eucharistiam deferendi occulte ad Infirmos ob metum Infidelium. Ex Constitutione Benedicti XIV. Inter Omnigenas §. 25. edita pro Servia et finitimis regionibus die 2. Februarii 1744.

Ubi Turcarum vis praevalet et iniquitas Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus: in sacculo, seu bursa Pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat, et nunquam solus procedat, sed uno saltem Fideli, in defectu Clerici, associetur.

DECRETUM

A Sacra Rituum Congregatione die 9. Julii 1864. editum de specie olei pro nutrienda lampade Sanctissimi Sacramenti.

Nonnulli Reverendissimi Galliarum Antistites, serio perpendentes in multis suarum Dioecesuum Ecclesiis difficile admodum et nonnisi magnis sumptibus comparari posse oleum olivarum ad nutriendam diu noctuque saltem unam lampadem ante Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, ab Apostolica Sede declarari petierunt: utrum in casu, attentis difficultatibus et Ecclesiarum paupertate, oleo olivarum substitui possint alia olea, quae ex vegetabilibus habentur, ipso non excluso petroleo. Sacra porro Rituum Congregatio, etsi semper sollicita, ut etiam in hac parte, quod usque ab Ecclesiae primordiis circa usum olei ex olivis inductum est, ob mysticas significationes retineatur; attamen silentio praeterire minime censuit rationes ab iisdem Episcopis prolatas; ac proinde exquisito prius Voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, subscriptus Cardinalis Praefectus ejusdem Sacrae Congregationis rem omnem proposuit in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis. Eminentissimi autem et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus

bus praepositi, omnibus accurate perpensis ac diligentissime examinatis, rescribendum censuerunt. „*Generatim utendum esse oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiae Episcoporum ut lampades nutriantur ex aliis oleis quantum fieri possit vegetabilibus.*" Die 9. Julii 1864.

Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. per Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit. Die 14 iisdem Mense et Anno.

ORDO

administrandi Sacram Communionem extra Missam.

Sacerdos igitur sanctissimam Eucharistiam ministraturus Hostiis, seu Particulis pro populi multitudine consecratis, vasculoque uno vel pluribus, decenti, et commodo loco expositis, cum vino et aqua ad purificationem eorum, qui Communionem sumpserint, et ante eos linteo mundo extenso, lotis prius manibus, et superpelliceo indutus, ac desuper stola coloris Officio illius diei convenientis, praecedente Clerico, seu alio ministro, procedit ad Altare manibus junctis, et accensis cereis, facta prius et postea genuflexione extrahit pyxidem, et illam super corporale depositam, discooperit.

Minister genibus flexis nomine populi ad cornu Epistolae facit Confessionem generalem, dicens:

Confiteor Deo, etc.

Tum Sacerdos iterum genuflectit, et manibus junctis ante pectus vertit se ad populum, advertens, ne terga vertat Sacramento, et in cornu Evangelii dicit:

Misereatur vestri, omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam aeternam. ℟. Amen.

Et addit: **Indulgentiam, absolutionem ✝, et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, et misericors Dominus. ℟. Amen.**

Dicens: Indulgentiam, etc. manu dextera in formam Crucis signat communicandos.

Deinde ad Altare se convertit, genuflectit, manu sinistra pyxidem prehendit, et duobus digitis, pollice et indice, Sacramentum accipit,

accipit, et elevat: conversusque ad populum in medio Altaris dicit clara voce:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. *Mox subdit:* **Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea;** quod iterum, ac tertio repetit: qua formula etiam utendum est, cum foeminae Communio administratur.

Postea ad communicandum accedit, incipiens ab iis, qui sunt ad partem Epistolae; sed primo, si Sacerdotibus, vel aliis ex Clero danda sit Communio, iis ad gradus Altaris genuflexis praebeatur, vel si commode fieri potest, intra sepimentum Altaris sint a laicis distincti. Sacerdotes vero cum stola communicent.

Sacerdos unicuique porrigens Sacramentum, et faciens cum eo signum Crucis super pyxidem, simul dicit:

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen.

Ubi vero omnes communicaverint, Sacerdos reversus ad Altare, dicere poterit:

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur.

℣. **Panem de coelo praestitisti eis.**

Minister. ℟. **Omne delectamentum in se habentem,** tempore Paschali additur, **Alleluja.**

Mox Sacerdos dicit:

℣. **Domine, exaudi orationem meam.**

℟. **Et clamor meus ad te veniat.**

℣. **Dominus vobiscum.**

℟. **Et cum spiritu tuo.**

OREMUS.

DEus, qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemp-

demptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℞. Amen.

Tempore Paschali dicitur Oratio.

SPiritum nobis, Domine, tuae caritatis infunde: ut quos Sacramentis Paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

Antequam reponat Sacramentum, diligenter advertat, ut si aliquod fragmentum digitis adhaeserit, illud in pyxidem deponat. et eosdem digitos, quibus tetigit Sacramentum, abluat, et abstergat purificatorio: ablutionem vero sumat, si celebraverit, aut iis, qui tunc communicarunt, sumendam tradat, aut saltem in sacrarium injiciat. Postea genuflectens reponit Sacramentum in tabernaculo, et clave obserat.

Deinde extenta manu dextera, benedicit iis qui communicarunt, dicens:

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, † et Filii, et Spiritus Sancti, descendat super vos, et maneat semper. ℞. Amen.

Omnia dicuntur in plurali etiamsi unus sit communicans. Utrum in Communione Fidelium extra Missam Sacerdos antequam Populo benedicat, osculari debet Altare, ut praecipit Pontificale Romanum de Visitatione, vel non, ut Rituale Romanum innuere videtur? Resp. servetur dispositio Ritualis Romani nihil praescribentis. S. R. C. 16. Mart. 1833.

In administranda Communione stola, juxta Ritualis Romani rubricam, debet esse coloris officio convenientis. S. R. C. 12. Mart. 1836.

An in Communione Fidelibus ministranda post ℣. Panem de coelo etc. dici omnino debeant ante Orationem alii ℣. ℣. Domine exaudi: et Dominus vobiscum? Resp. Affirmative, ut praescribitur in Rituali Romano. S. R. C. 24. Sept. 1842.

Renovatio Sacramenti non debet protrahi ultra octo, aut ad summum quindecim dies. S. R. C. 16. Dec. 1826. (Gardellini.)

In

In Ss. Sacramenti benedictione, quoad thurficationem tempore Benedictionis a Thuriferario servetur Rituale Romanum, in quo ea non praescribitur. S. R. C. 11. Sept. 1847.

In Ss. Sacramenti benedictione cum sacra Pyxide potest omitti thurificatio praescripta, sed non est omittenda in benedictione cum Ostensorio, in cujus summitate Crux visibilis etiam apponi debet. S. R. C. 11. Sspt. 1847.

Consuetudo dicendi in Communione Fidelium: Ecce Agnus Dei, et Domine non sum dignus idiomate vulgari eliminanda est. S. R. C. 23. Maii 1835.

An Sacerdos pergens ad explendam Communionem extra Missam debeat per se, vel per Ministrum deferre Bursam, in qua Corporale recluditur? Decere ut a Sacerdote deferatur. S. R. C. 24. Sept. 1842.

Bursa cum corporali adhiberi debet in administratione Communionis: neque sufficit Palla super Altare loco Corporalis. S. R. C. 27. Feb. 1847.

Communio in casu necessitatis ministrari potest a Sacerdote vestibus Missalibus induto, qui in alio Altari Missam celebravit. S. R. C. 12. Mart. 1836.

Communio extra Missam Fidelibus denegari nequit. S. R. C. 7. Dec. 1844.

Patenae suppositio per Sacerdotem Cotta indutum in Communione generali licita est. S. R. C. 3. Sept. 1661.

In Benedictione cum Sanctissimo Sacramento Celebrans nihil dicere debet, nihilque vocibus modulari a cantoribus ad praescriptum Ritualis, et Caeremonialis, non obstante quacumque contraria consuetudine. S. R. C. 9. Feb. 1762. Sed permittitur, quod aliquid decantetur post Benedictionem. S. R. C. 16. Mart. 1833. etiam vernacula lingua post Benedictionem sed non ante. S. R. C. 3. Aug. 1839.

Eucharistia distribui potest Fidelibus in Sabbato Sancto inter Missarum Solemnia, et per hanc Communionem satisfit praecepto Paschali. S. R. C. 22. Mart. 1806.

Litaniae non aliae recitentur in Oratione 40. Horarum praeter impressas typis Camerae Apostolicae, vel iisdem omnino conformes S. R. C. 3. April 1821.

Pixis sacra exponi nequit ad breve tempus donec aliquae preces reciten-

recitentur, super Altare, in quo jam est exposita reliquia alicujus Sancti, de quo Festum agitur. S. R. C. 19. Maii 1833.

Pixis sacra in benedictione debet cooperiri extremitatibus veli humeralis. S. R. C. 23. Feb. 1838.

Pixis sacra nequit exponi in throno. S. R. C. 23. Maii 1835.

Preces praescriptae ab Episcopo ad impetrandam pluviam non sunt decantandae inter Missarum solemnia, ne Sacrificium Missae interrumpatur. S. R. C. 11. Juni. 1605. Huic decreto consonantia sunt quae scribit Archiep. Kenrick in sua Theolog. Morl. Tract. 18. de Eucharist. Cap. v. de modo celebr. §. 2. n. 116. „Mos apud nos inductus hymnum: *Veni Sancte Spiritus*, ante concionem canendi, tollendus videtur, quum non praescribatur in Missali, et sacerdos genuflexus maneat dum canitur, contra ritum in Missa servatum, et Anglico sermone plerumque canatur."

Stola ab Sacerdotibus, Sacram Eucharistiam sumentibus Feria v. in Coena Domini, potest in modum Crucis aptari, vel deferri e collo hinc inde pendens. S. R. C. 30. Sept. 1679.

Stolam osculandi consuetudo servari potest a Sacerdote, cum eam assumit pro deponendo et reponendo Ss. Sacramentum S. R. C. 29. Mart. 1851.

1. Utrum Tabernaculum, in quo reconditur Ss. Sacramentum Conopaeo cooperiri debeat, ut fert Rituale, et quatenus affirmative: 2. Utrum Conopaeum istud confici possit ex panno, sive gossypio, sive lana, sive cannaba contexto. 3. Cujusnam coloris esse debeat? aliis opinantibus, ut Baruffaldus Conopaeum debere esse coloris albi, utpote convenientis SSmo. Sacramento, aliis autem, ut Gavantus, eiusdem coloris, cujus sunt pallium Altaris, praeter colorem nigrum, qui mutatur in colore violaceo in exequiis defunctorum? „Quoad primam quaestionem affirmative; quoad secundam pariter affirmative: quoad tertiam, utramque sententiam posse in praxim deduci, maxime vero sententiam Gavanti, quae pro se habet usum Ecclesiarum Urbis. S. R. C. 21. Juli 1855.

Licetne administrare Communionem particulis praeconsecratis in Missis defunctorum? „De hac quaestione, ait Gardellini in suis Commentariis ad Decreta Authentica, „Nemini dubium, quod Decretum diei 2. Sept. 1741. genuinum et authenticum sit. Inter alia quaesita, quae comprehenduntur in dubio 4., postremum est: „Possunt in

Missa

Missa de Requiem consecrari hostiae infra eam distribuendae? et Sacra Congregatio non directe huic quaesito respondit, sed potius regulam dare voluisse videtur servandam quoad Communionem Fidelibus praebendam. „In Missis itidem defunctorum, seu ut verbis utar Decreti, „in paramentis nigris non ministratur Eucharistia per modum Sacramenti, extrahendo Pyxidem a custodia, potest tamen ministrari per modum Sacrificii prout est, quando Fidelibus praebetur Communio cum particulis infra eandem Missam consecratis". Atque hoc pacto indirecte propositam quaestionem solvit, directe vero legem servandam indixit. Juxta Gardellini hoc decretum 2. Sept. 1741. est genuinum, sed *Decretum*, de quo est sermo in hoc ipso Decreto (seu ut verbis utar Decreti) non reperitur in Regestis Sacrae Congregationis. Interrogata Sacra Congregatio semel atque iterum an servandum sit Decretum diei 2. Sept. 1741.? respondit *Dilata*, et ait Gardellini „satius duxit ampliare judicium remque maturiori examini subjicere: tum quia non infimae, imo summae auctoritates scriptores, (quos inter principem locum tenet Benedictus XIV., quem certe latere nequibat Decretum *anni* 1741., cum ejus opus de Sacrificio Missae latine redditum recussum Romae fuerit multo post, scilicet anno 1748.) contrariam sententiam et tuentur, et pluribus rationibus sustinent: tum etiam quia non una, eademque est apud omnes Ecclesias, et Sacerdotes consuetudo. Expectandum est igitur novum S. C. Decretum, quo vel illud *anni* 1741. confirmet, et ab omnibus servari jubeat: vel potius ne divisiones fiant, et exoriantur scandala, indulgeat, ut quae in Ecclesiis invaluit consuetudo, et praxis, quae huc usque obtinuit, servari possit, et valeat. Interim, donec novum non prodeat Decretum, quo componantur quaestiones, et dissensionibus opportunum afferatur remedium, congruit, ut, ubi fieri potest sine admiratione Fidelium, praefati Decreti anni 1741. servetur dispositio."

De Poenitentiae Sacramento.

Utrum verbum *deinde* in forma absolutionis in nonnullis editionibus rubro charactere impressum omittendum sit? Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, audita prius Sacrae Universalis Inquisitionis Congregatione, rescribendum

 censue-

censuerunt: *Nihil esse innovandum.* Die 11. Martii 1837. „In Confessionibus frequentioribus et brevioribus (ait Rit. Rom.) omitti potest: Misereatur: et satis erit dicere: *Dominus Noster Jesus Christus*: usque ad illud: *Passio Domini:* quaeritur an sit intelligendum exclusive, vel inclusive?" Intelligendum exclusive S. R. C. 28. Feb. 1847.

MODUS

Excipiendi Professionem fidei catholicae a Neo-Conversis, juxta formam a S. Congregatione S. Officii, die 20. Julii, 1859. praescriptam.

In conversione haereticorum, inquirendum est primo de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur diligenti examine, si compertum fuerit, aut nullum, aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem, investigatione peracta, adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tunc sub conditione iteratur, juxta ordinem baptismi Adultorum. Demum, si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abjurationem, seu professionem fidei. Triplex igitur in conciliandis haereticis distinguitur procedendi methodus:

1. Si baptismus absolute conferatur nulla sequitur abjuratio, nec absolutio eo quod omnia abluit sacramentum regenerationis.

2. Si baptismus sit sub conditione iterandus, hoc ordine procedendum erit: 1o. Abjuratio, seu fidei professio 2o. Baptismus conditionalis; 3o. Confessio sacramentalis cum absolutione conditionata.

3. Quando denique validum judicatum fuerit baptisma, sola recipitur abjuratio seu fidei professio, quam absolutio a censuris sequitur. Si tamen nonnunquam ejusmodi Neo-conversus valde desideret ut ritus in ejus baptismo olim omissi, hac occasione suppleantur, Sacerdos huic pio ejus voto morem gerere utique liberum habet. Debebit tamen in tali casu adhibere ordinem baptismi Adultorum, et mutare mutanda ob baptismum jam valide susceptum.

Sacerdos superpellico et stola violacei coloris indutus sedet in cornu Epistolae (si Ss. Sacramentum asservetur in tabernaculo) sin minus in medio Altaris, et coram illo genuflectit Neo-conversus; qui codicem Evangelii dextra manu tangens, emittit professionem fidei, prout inferius habetur: vel si nesciat legere, Sacerdos praelegit eidem tarde professionem, ut Conversus eamdem intelligere, et cum Sacerdote distinctis verbis pronuntiare possit. PRO-

PROFESSION OF FAITH.

I, N. N., having before my eyes the holy Gospels, which I touch with my hand, and knowing that no one can be saved without that faith which the Holy Catholic Apostolic Roman Church holds, believes and teaches, against which I grieve that I have greatly erred, inasmuch as I have held and believed doctrines opposed to her teaching.

I now, with grief and contrition for my past errors, profess that I believe the Holy Catholic Apostolic Roman Church to be the only and true Church established on earth by Jesus Christ, to which I submit myself with my whole heart. I believe all the articles that she proposes to my belief, and I reject and condemn all that she rejects and condemns, and I am ready to observe all that she commands me. And especially, I profess that I believe:

One only God in three divine Persons, distinct from, and equal to, each other–that is to say, the Father, the Son, and the Holy Ghost;

The Catholic doctrine of the Incarnation, Passion, Death, and Resurrection of our Lord Jesus Christ; and the personal union of the two Natures, the divine and the human; the divine Maternity of the most holy Mary, together with her most spotless Virginity;

The true, real, and substantial presence of the Body and Blood, together with the Soul and Divinity of our Lord Jesus Christ, in the most holy Sacrament of the Eucharist;

The seven Sacraments instituted by Jesus Christ for the salvation of mankind; that is to say, Baptism, Confirmation, Eucharist, Penance, Extreme unction, Order, Matrimony;

Purgatory, the Resurrection of the dead, Everlasting life;

The Primacy, not only of honor, but also of jurisdiction of the Roman Pontiff, sucessor of St. Peter, Prince of the Apostles, Vicar of Jesus Christ;

The veneration of the Saints, and of their images ;

The authority of the Apostolic and Ecclesiastical Traditions, and of the Holy Scriptures, which we must interpret, and understand only in the sense which our holy mother the Catholic Church has held, and does hold;

And every thing else that has been defined, and declared by the sacred Canons, and by the General Councils, especially by the holy Council of Trent.

With

With a sincere heart, therefore, and with unfeigned faith, I detest and abjure every error, heresy, and sect opposed to the said Holy Catholic and Apostolic Roman Church. So help me God, and these his holy Gospels, which I touch with my hand.

Glaubensbekenntniß.

Angesichts der heiligen Evangelien, die ich mit meiner Hand berühre, und mit der Überzeugung, daß Niemand ohne den Glauben selig werden kann, welchen die heilige, katholische, apostolische römische Kirche bewahrt, glaubt und lehrt, und gegen welchen ich—was ich jetzt bereue—sehr gefehlt habe, indem ich Lehren behauptete und glaubte, die ihrer Lehre zuwider waren—
bekenne ich N. N. jetzt mit Schmerz und Reue über meine früheren Irrthümer, daß ich glaube, daß die heilige, katholische, apostolische römische Kirche die einzige und wahre Kirche ist, die Christus auf Erden gestiftet hat; und ihr unterwerfe ich mich mit ganzem Herzen. Ich glaube alle Artikel, welche sie zu glauben vorstellt, und verwerfe und verdamme Alles das, was sie verwirft und verdammt, und ich bin bereit alles zu halten, was sie mir befiehlt. Insbesondere bekenne ich, daß ich glaube:

An Einen einzigen Gott in drei göttlichen Personen, die von einander unterschieden nnd einander gleich sind, nämlich: den Vater, den Sohn und den heiligen Geist.

Ferner glaube ich die katholische Lehre von der Menschwerdung, dem Leiden, Sterben und der Auferstehung unseres Herrn Jesu Christi; die Vereinigung der beiden Naturen, der göttlichen und menschlichen in einer Person; die göttliche Mutterschaft der seligsten Maria, sowie ihre mackellose Jungfrauschaft.

Die wahre, wirkliche und wesentliche Gegenwart des Leibes und Blutes unseres Herrn Jesu Christi, sammt Seiner Seele und Gottheit, im allerheiligsten Sacramente des Altares.

Die sieben Sacramente, die Christus zur Seligmachung des Menschenge-

schenge-

schengeschlechtes eingesetzt hat, nämlich: die Taufe, die Firmung, das heilige Altarssacrament, die Buße, die letzte Öhlung, die Weihe und die Ehe.

Ich glaube an das Fegfeuer, an die Auferstehung der Todten und an das ewige Leben.

An den Primat (Vorrang) des Römischen Papstes, als Nachfolgers des heiligen Petrus, des Apostelfürsten und Stellvertreters Jesu Christi, nicht nur der Ehre, sondern auch der geistlichen Gewalt nach.

Die Verehrung der Heiligen, und ihrer Bildniße.

Die Auctorität der apostolischen und kirchlichen Überlieferungen, sowie der heiligen Schrift, welche wir in keinem anderen Sinne auslegen und verstehen dürfen, als in jenem, in welchem es unsere heilige Mutter, die katholische Kirche gethan hat und annoch thut.

Endlich glaube ich Alles, was durch die heiligen Canones, durch die allgemeinen Kirchenversammlungen, und besonders das heilige Concilium von Trient festgesetzt und erklärt worden ist.

Mit aufrichtigem Herzen und ungeheucheltem Glauben verabscheue ich daher und schwöre ab jeglichem Irrthum, jeglicher Kezzerei und Secte, welche der besagten heiligen, katholischen und apostolischen römische Kirche entgegen sind.

So wahr mir Gott helfe und diese Seine heiligen Evangelien, die ich mit der Hand berühre.

Postea, Neo-converso genuflexo manente, Sacerdos sedens dicit Psalmum Miserere, sive psalmum De profundis cum *Gloria Patri* in fine.

Psalmus 50.

Miserere mei Deus: * secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: * et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: * et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: * ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: * et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: * incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: * et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: * et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: * et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: * et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui: * et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: * et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae: * et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine labia mea aperies: * et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: * cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion: * ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes, et holocausta: * tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri, et Filio, * et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, * et in saecula saeculorum. Amen.

Vel

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te Domine: * Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: * in vocem deprecationis meae. Si

Si iniquitates observaveris Domine: * Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: * et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem, * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel, * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, et Filio, * et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, * et in saecula saeculorum. Amen.

Quo finito, Sacerdos stans dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, secreto.

℣. **Et ne nos inducas in tentationem.**

℟. **Sed libera nos a malo.**

℣. **Salvum fac servum tuum (ancillam tuam.)**

℟. **Deus meus, sperantem in te.**

℣. **Domine, exaudi orationem meam.**

℟. **Et clamor meus ad te veniat.**

℣. **Dominus vobiscum.**

℟. **Et cum spiritu tuo.**

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere; suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum (hanc famulam tuam) quem (quam) excommunicationis catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos sedet, et ad Profitentem genuflexum versus, eum ab haeresi absolvit, dicens:

Auctoritate apostolica, qua fungor in hac parte, absol-

vo

vo te a vinculo excommunicationis quam*) incurristi, et restituo te sacrosanctis Ecclesiae sacramentis, communioni et unitati fidelium in nomine Patris et Fi † lii et Spiritus sancti. ℟. Amen.

Denique abjuranti aliquam Poenitentiam salutarem injungat, e. g. aliquas preces, visitare Ecclesiam, aut similia.

---

*) In dubio gravi aut levi utrum poenitens excommunicationem incurrerit per haeresim professam, Sacerdos hic inserat vocabulum *forsan.*

De Sacramento Extremae Unctionis.

Baruffaldus in Commentario suo ad Rituale Romanum haec habet de Extrema Unctione.

Ad aures. Scilicet in lobulo, vel ima auricula: non in helice, vel alveolo ejusdem, ut facilius abstergi possit.

Ad nares. Nempe ad narices, quae sunt Nasi alae laterales, ad evitandam sternutationem, quae aliter faciendo, facile oriretur.

Ad os, compressis labiis. In hoc loco Unctio una esse debet, cum qua utraque labia tangantur, atque ideo dicit Rubrica: „compressis labiis," quia sic commode fieri potest. Sed, si Infirmus non audiret, et esset in agone positus, ore hianti, tunc Sacerdos non debet curare, ut labia comprimantur, ne clauso ore, respiratio intercludatur, cum magno Infirmi periculo, sed sufficit, ut labium seu superius, seu inferius ungat ad libitum suum.

Ad manus. Hoc est in media palma utriusque manus haec enim tota comprehendit sensorium tactus. In Sacerdotibus, manus non inunguntur interius sed exterius.

Ad pedes. Unctio Pedum fieri solet in Infirmis ad metatarsum pedis, quod vulgo dicitur „instep" (Rist). Si vero Infirmus non valeat pedes movere prae laxitudine ex morbo proveniente, ungatur ea pars, quae commode magis prostat.

Ad lumbos. Quando in Viris fieri commode possit haec Unctio, sufficit, ut inungantur latera supra summam coxendicem, seu supra Os Ischion, sed leviter ne a tactu illius adeo sensitivae partis, suboriatur, ut facile est, improvisa titillatio, et exinde vel tussis, vel aliud incommodum.

RITUS

RITUS

Benedictionis Apostolicae in articulo mortis a Sacerdotibus ad id delegatis impertiendae.

Benedictio in Articulo Mortis cum soleat impertiri post Sacramenti Poenitentiae, Eucharistiae, et Extremae Unctionis illis Infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis; impertienda iisdem est, etiam si postea linguae, caeterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium, vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impoenitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

Habens praedictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi jacet infirmus, dicat: *Pax huic domui, etc.* ac deinde aegrotum, cubiculum, et circumstantes aspergat Aqua benedicta, dicendo Antiphonam: *Asperges me, etc.*

Quod si aegrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Si Confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus Benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat, atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens, fore, ut ex divinae munificentiae largitate eam poenarum remissionem, et vitam sit consecuturus aeternam.

Sacerdos dicat:

℣. **Adjutorium nostrum in nomine Domini.**

℟. **Qui fecit coelum et terram.**

Antiphona. **Ne reminiscaris Domine, delicta famuli tui** (vel **ancillae tuae**), **neque vindictam sumas de peccatis ejus.**

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. **Et ne nos inducas in tentationem.**

℟. **Sed libera nos a malo.**

℣. **Salvum fac servum tuum** (vel **ancillam tuam,** et sic deinceps.)

℟. **Deus meus, sperantem in te.** ℣. Do-

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque sperantem: secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N., quem tibi vera fides, et spes christiana commendat. Visita eum in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem, et veniam clementer indulge: ut ejus anima in hora exitus sui te Judicem propitiatum inveniat, et in Sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum dicto ab uno ex Clericis adstantibus Confiteor, Sacerdos dicat, Misereatur, etc. Deinde:

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi: per suam piissimam misericordiam recipiat Confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti: et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, Indulgentiam Plenariam, et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, et Fi ✝ lii et Spiritus Sancti.

Per sacrosanctae humanae reparationis mysteria, remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis, et futurae vitae

vitae poenas, Paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater, Fi✝lius, et Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque Confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur.

DECRETA

S. C. Indulg. de hac Benedictione.

Ad Tria Dubia per Secretarium proposita, et per omnium manus transmissa, ut diligentius examinarentur.

1. Verum Indulgentia Plenaria in Articulo Mortis, quae sine alia declaratione adjecta concedi solet, in vero Mortis Articulo accipienda sit, an in praesumpto, an demum in utroque?

2. An cunctis petentibus sit Indulgentia Plenaria in Articulo Mortis concedenda?

3. An contriti sed neque confessi, neque Ssma Communione refecti Indulgentiam plenariam consequantur, quam supplicantibus passim pro Mortis Articulo largiuntur Romani Pontifices?–Sac. Congregatio respondit.

Ad 1m. In vero tantum articulo accipi.

Ad 2m. Cunctis petentibus concedendam esse.

Ad 3m. Ejusmodi contritos Indulgentiam lucrari, si Pontifex in sua concessione Confessionem, vel aliud simile non requirit.

Datum Romae die 23. Aprilis 1675. Michael Angelus Riccius Secret.

Urbis et Orbis.

Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV. die 30. Maii 1744. benigne declaravit Imaginem Crucifixi Domini Nostri Jesu Christi, quae Parochis pro impertienda benedictione cum Indulgentia Plenaria in articulo Mortis decernitur, etiam ipsimet Parocho, cui concessa est, in articulo Morti constituto, qui singula in decreto eidem expedito injuncta peregerit, pari modo suffragari, sive per se sive per alium ejusmodi Imago eidem porrigatur.

A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

Vinda-

Vindana in Britannia Minori.

Dubium 5m. Benedictio in articulo mortis cum applicatione Indulgentiae Plenariae potestne, si sit periculum in mora concedi tum valide, tum licite iis qui etiam culpabiliter non fuerunt ab incoepto morbo Sacramentis refecti, vel Poenitentiae, vel Eucharistiae, vel Extremae Unctionis, vel nullo horum, subitoque vergunt ad interitum? Affirmative ad formam Bullae Benedicti XIV.

Dubium 6m. Benedictio supra dicta potest bis, aut amplius in eodem morbo qui insperate protrahitur impertiri, etiamsi non convaluerit aegrotus? Si possit iterari haec benedictio, quodnam requiritur intervallum inter ejus largitiones? Resp. Semel in eodem statu Morbi.

Dubium 7m. Invocatio saltem mentalis, de qua fit mentio in Brevibus ad Episcopos de hac benedictione missis praescribiturne, quamdiu aegrotus suae mentis est compos, ut conditio sine qua non ad Indulgentiam vi istius benedictionis lucrandam? Resp. Affirmative. S. C. 20. Sept. 1775.

Valentinen.

Quaerebatur 5o. Utrum sufficiat recitatio Confessionis, id est Confiteor, etc. in Sacramento Poenitentiae habita, pro recitatione illius praescripta quando impertienda sit benedictio cum Indulgentia in Mortis Articulo? Respondetur „negative juxta praxim, et Rubricas, nisi necessitas urgeat."

Quaerebatur 6o. Utrum necesse sit tribus vicibus recitare Confiteor etc. quando administratur Sacrum Viaticum, Extrema Unctio, ac Indulgentia in Mortis Articulo impertitur? Respondetur „Affirmative juxta Praxim, et Rubricas.

Quaerebatur 7o. Utrum infirmus lucrari possit Indulgentiam Plenariam in Mortis Articulo a pluribus Sacerdotibus facultatem habentibus impertiendam? Resp. „Negative in eodem Mortis Articulo."

Quaerebatur 8o. Utrum Sacerdos valide conferat Indulgentiam Plenariam in Mortis Articulo, ommissa formula a Summo Pontifice praescripta, ob libri deficientiam? Respondetur „Negative quia formula non est tantum directiva sed praeceptiva." S. C. 5. Feb. 1841.

Gandaven.

Cum Episcopus Gandavensis in Belgio Dubia sibi a Confessariis suae Dioecesis proposita solvere, et praxim uniformem in eadem Dioece-

Dioecesi introducere cupiat, enixe a Sac. Congregatione quaerit:

1. Utrum Benedictio in articulo mortis juxta formulam Benedicti XIV. in Constitutione „Pia Mater" reiterari possit in eodem morbi statu?

2. Quatenus affirmative, an ea toties iterari possit quoties aegrotus in peccata saltem venialia relapsus ab eis absolvetur?

Sac. Congregatio in una Veronen die 24. Septembris 1838 responsum dedit cuidam Dubio illius Episcopi „An scilicet Benedictio Apostolica pluries impertiri posset novo mortis periculo redeunte?" et responsum fuit „Negative, permanente infirmitate etsi diuturna; Affirmative vero si infirmus convaluerit, ac deinde quacumque de causa in novum mortis periculum redeat." Et ita Sac. Congr. respondit Episcopo Gandavensi. Die 12. Februarii 1842.

Ditionis Belgicae.

Cum Sac. Congregatio Indulgentiarum in una Valentinen. sub die 5. Februarii 1841. resolutionem dedisset sequenti dubio „Utrum infirmus pluries lucrari possit Indulgentiam Plenariam in mortis articulo a pluribus Sacerdotibus facultatem habentibus impertiendam? Respondit Negative in eodem mortis articulo." Exinde quaeritur:

1. Utrum vi praecedentis resolutionis prohibitum sit, infirmo, in eodem mortis periculo permanenti, impertiri pluries, ab eodem vel a pluribus Sacerdotibus hanc facultatem habentibus Indulgentiam Plenariam in articulo mortis, quae vulgo Benedictio Papalis dicitur?

2o. Utrum vi ejusdem resolutionis item prohibitum sit, impertiri pluries, infirmo in iisdem circumstantiis ac supra constituto, Indulgentiam Plenariam in articulo mortis a pluribus Sacerdotibus hanc facultatem ex diverso capite habentibus ratione aggregationis Confraternitati Sanctissimi Rosarii, S. Scapularis de Monte Carmelo, Sanctissimae Trinitatis, etc.?

Sac. Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita postquam in generalibus Comitiis habitis die 5. Martii 1855 apud Aedes Vaticanas votum Consultoris super praefatis dubiis audisset, ac per me infrascriptum ejusdem Sac. Congregationis Secretarium die 12. ejusdem mensis Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX. de omnibus relatione peracta, respondit „Ad primum et ad secundum" *Negative*, firma remanente resolutione Valentinen. sub die 5. Febr. 1841.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congr. Indulg. die 12. Mart. 1855.

F. Card. Asquinus Praef. A. Colombo Secret. Ex

Ex hisce igitur decretis liquet, plures Sacerdotes non posse uni personae impertiri Indulgentiam Plenariam sub uno eodemque titulo: bene vero posse sub diverso titulo. Hinc Patres et Fratres O. N. in Articulo Mortis accipere possunt Indulgentiam Plenariam per facultatem Sacerdotibus in hisce regionibus concessam; ac insuper aliam Indulgentiam Plenariam vi Privilegiorum Benedictinis concessam per formulam inferius positam. Hinc unus idemque Sacerdos (si facultatem habeat) potest impertiri plures Indulgentias Plenarias sub diverso titulo – puta ratione aggregationis Confraternitati Ssmi Rosarii, S. Scapularis de Monte Carmelo, Ssmi Trinitatis etc.

Quamvis Indulgentia Plenaria non sortiatur effectum suum nisi in vero Mortis Articulo: attamen formula, qua confertur, adhiberi potest in periculo mortis, seu quando quis potest inungi Oleo Sancto, potest etiam accipere Benedictionem Apostolicam.

Benedictio cum Indulgentia Plenaria in Articulo Mortis impertienda est pueris, qui ob defectum aetatis Sacramentum Eucharistiae nondum perceperunt. S. R. C. 16. Dec. 1826.

ABSOLUTIONES
in Articulo Mortis conferendae cum Indulgentia Plenaria a Sacerdotibus facultatem habentibus, et juxta privilegia morientium.

ABSOLUTIO

A poena et culpa in ultimo articulo mortis danda Monachis et Monialibus Ordinis Ss. P. N. Benedicti utentibus Habitu Nigro, Auctoritate Privilegiorum.

Et primo a Confitente fiat Confessio, vel ab alio, si ipsemet non potest. Deinde Sacerdos dicat: Misereatur tui, etc. Postea: Indulgentiam etc.

ABSOLUTIO.

Dominus noster Jesus Christus per merita suae sanctissimae et acerbissimae Passionis, et per suam sanctam misericordiam te absolvat, et gratiam suam tibi infundat,

fundat, et Ego auctoritate ipsius, et beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, et aliorum Apostolorum, et omnium Sanctorum, et Sanctarum Dei, et auctoritate Summi Pontificis, qua fungor in hoc casu, quantum claves sanctae Matris Ecclesiae se extendunt: Absolvo te ab omni vinculo Excommunicationis, Interdicti, vel cujuscumque Sententiae, quam scienter, vel ignoranter incurristi usque ad hanc horam, et restituto te unitati fidelium Christi, et sanctis Sacramentis Ecclesiae. Item eadem auctoritate absolvo te ab omnibus peccatis tuis, contritis, oblitis, corde, et ore confessis specialiter, vel communiter, vel de quibus libenter confitereris, si eorum haberes memoriam pro modulo tuae fragilitatis, quomodocumque offendisti Creatorem tuum, vel offendere voluisti, et a transgressione tuae Regulae, ac etiam ob omni transgressione Votorum. Item eadem auctoritate absolvo te ab omnibus poenis tibi in Purgatorio debitis propter culpas et offensas, quas contra Deum, animam tuam, et proximum tuum commisisti, et quantum mihi permittitur, restituo te innocentiae, in qua eras, quando baptizatus fuisti, quantum se extendit potestas clavium beatissimi Petri Vicarii Domini nostri Jesu Christi, et quantum gratum et acceptum est oculis Divinae Majestatis, absolve te, tam a poena, quam a culpa: claudendo tibi januas Inferni et Purgatorii, et portas aperiendo Paradisi, in quantum claves sanctae matris Ecclesiae se extendunt. Et si de hac infirmitate non discesseris remaneat tibi salva ista gratia in mortis articulo. In nomine Patris, † et Filii, † et Spiritus † Sancti. Amen.

Praedicta forma absolutionis deprompta fuit ex Compendio et Summario Privilegiorum Monastici Ordinis, quod asservatur in Archivio sacri Monasterii Cavensis SS. Trinitatis.

ABSOLUTIO

impertienda Confratribus Rosarii in articulo mortis constitutis.

(Propria Ordinis Praedicatorum.)

Dicto: Confiteor, etc. Sacerdos dicat: Misereatur, etc. Indulgentiam, etc. deinde:

DOminus Noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi et solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et remittat tibi omnia peccata, quaecumque et quomodocumque in toto vitae decursu commisisti; de quibus corde contritus et ore eonfessus es, restituens tibi stolam primam, quam in baptismate recepisti. Et per Indulgentiam Plenariam a Summis Pontificibus Innocentio Octavo et Pio Quinto, Confratribus Sanctissimi Rosarii in articulo mortis constitutis concessam, liberet te a praesentis ac futurae vitae poenis, dignetur purgatorii cruciatus remittere, portas inferni claudere, paradisi januam aperire; teque ad gaudia sempiterna perducere per sacratissima suae Vitae, Passionis et Glorificationis, mysteria Sanctissimo Rosario comprehensa. Qui cum Patre et Spiritu Sancto Deus unus vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

ABSOLUTIO

impertienda Confratribus B. M. V. de Monte Carmelo in articulo mortis constitutis.

(Propria Ordinis Carmelitarum.)

Cum Sacerdos ingressus fuit infirmi cubiculum, dicat:

℣. Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde imposita stola violacei coloris, aspergat aegrum et circumstantes

stantes

stantes Aqua benedicta in modum crucis dicens:
Antiphona. **Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor: lavabis me et super nivem dealbabor. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.** Et repetitur Ant. **Asperges me, etc.**

℣. Salvum fac servum tuum.
℟. Deus meus, sperantem in te.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

EXaudi nos, Domine, sancte Pater omnipotens aeterne Deus, et mittere digneris sanctum angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde genuflexus dicat Litanias B. V. Mariae.

Kyrie eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, *)
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, **)
Sancta Virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae, **)
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens,

*) Miserere nobis. **) Ora pro nobis.

11* Virgo

Virgo clemens, **)
Virgo fidelis,
Speculum justitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Janua coeli,
Stella matutina, **)
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,
Regina sine labe originali concepta,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater noster, et Ave Maria.

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa et benedicta. Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo eum Filio reconcilia, tuo eum Filio repraesenta.

℣. Ora pro eo, sancta Dei Genitrix.
℟. Ut dignus efficiatur promissionibus Christi.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

PRotege, Domine, famulum tuum (*vel* famulam tuam) subsidiis pacis, et Beatae Mariae semper Virginis patrociniis confidentem a cunctis hostibus redde securum.

**) Ora pro nobis.

Sanc-

Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet ejus nobis intercessione donetur.

Omnipotens et misericors Deus; qui humano generi et salutis remedia, et vitae aeternae subsidia contulisti: respice propitius famulum tuum (*vel* famulam tuam) infirmitate corporis laborantem, et animam refove quam creasti; ut in hora exitus illius absque peccati macula tibi Creatori suo per manus sanctorum Angelorum repraesentari mereatur.

Deus infirmitatis humanae singulare praesidium, auxilii tui super infirmum famulum tuum (*vel* infirmam famulam tuam) ostende virtutem, et sic eum [*vel* eam] gratia tua confirmare digneris, ut in hora mortis ejus non praeveleat contra eum (*vel* eam) adversarius, sed cum Angelis tuis transitum habere mereatur ad vitam.

Omnipotens sempiterne Deus, qui montis Carmeli Ordinem gloriosae Virginis Matris Mariae sacrato titulo insignitum Sanctorum tuorum Eliae, Angeli, Cyrilli Alberti, Teresiae, et aliorum plurimorum Sanctorum meritis decorasti: tribue quaesumus; ut per eorum merita et suffragia ab instantibus animae et corporis malis, et periculis liberatus [*vel* liberata] ad te verum Carmeli verticem gaudens pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

His absolutis dicatur: Confiteor, deinde Sacerdos stans, dicat: Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. ℟. Amen.

Indulgentiam, absolutionem † et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi Omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen. ORE-

OREMUS.

DEus omnipotens salvator et redemptor generis humani, qui Apostolis suis dedit ligandi et solvendi potestatem, ipse te absolvere dignetur ab omnibus iniquitatibus tuis, et quantum meae fragilitati permittitur, auxiliante ipso sis ab † solutus (*vel* absoluta) ante faciem ejus. Qui vivit et regnat.

Deinde conferat Indulgentiam Plenariam in hac formula:

Concedo tibi Indulgentiam Plenariam peccatorum tuorum facultate mihi concessa et commissa virtute Bullarum Ordinis Carmelitarum, quod si praesens mortis periculum, Deo favente, evaseris, sit tibi haec Indulgentia pro vero mortis articulo reservata. In nomine Patris, et Fi † lii, et Spiritus Sancti. Amen.

Preces in casu necessitatis possunt omitti, et illico aegro absolutio impertiri antequam e vita discedat.

ORDO
applicandi Indulgentiam Plenariam in articulo mortis.

Dicatur ab infirmo, si vires habeat, vel ab alio si infirmus nequeat: Confiteor Deo, etc. a Sacerdote vero: Misereatur, et Indulgentiam, etc. deinde:

DOminus noster Jesus Christus, Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam te absolvat; et ego auctoritate ipsius, et Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli ex speciali gratia mihi tradita, tibique concessa, a Summis Pontificibus confirmata, absolvo te ab omni Vinculo Excommunicationis majoris, et minoris, (Suspensionis) et Interdicti, si teneris, in quantum

possum

possum et tu indiges; et restituo te sanctis Sacramentis, Ecclesiae communioni, et unitati fidelium. In nomine Patris, et Fi † lii, et Spiritus Sancti. Amen.

Item eadem auctoritate mihi tradita, et tibi concessa, ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis, quicumque toto decursu vitae quomodocumque commisisti, de quibus corde contritus, (*vel* contrita) et ore confessus [*vel* confessa] es, et quorum memoriam non habes usque in praesentem diem, et de quibus confiteri minime recordatus [*vel* recordata] fuisti; et restituo te illi innocentiae, in qua eras, quando baptizatus [*vel* baptizata] fuisti, et puritati eidem, in quantum claves sanctae matris Ecclesiae se extendunt. Remitto tibi etiam poenas purgatorii, quas per culpas, et offensas contra Deum, et proximum et teipsum [*vel* teipsam] commissas incurristi. Claudo tibi portas Inferni, januas aperio Paradisi; bona per te facta, et facienda, sint tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae: et hoc si in infirmitate, qua aegrotas, decedas: alias ex misericordia Dei salva sint tibi, donec fueris in articulo mortis constitutus [*vel* constituta]. In nomine Patris, et Fi † lii, et Spiritus Sancti. Amen.

BENEDICTIO

impertienda Confratibus Cincturatis in articulo mortis constitutis.

(Propria Ordinis Eremitarum sancti Augustini.)

℣. **Pax huic domui.**

℟. **Et omnibus habitantibus in ea.**

Confiteor Deo omnipotenti, etc.

Miseratur tui omnipotens Deus, etc.

DOMI-

Dominus noster Jesus Christus per suam piissimam misericordiam te absolvat; et ego auctoritate ipsius, et beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac sanctae Romanae Ecclesiae, in hac parte tibi concessa, et mihi commissa, in quantum possum, et valeo, et debeo, et mihi permittitur, absolvo te ab omni Sententia Excommunicationis majoris, vel minoris, Suspensionis, et Interdicti, a participatione cum excommunicatis, et restituo te sacrosanctis Sacramentis, Ecclesiae communioni, et unitati Fidelium; in nomine Patris, et Filii, † et Spiritus Sancti. Amen.

Item eadem auctoritate ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis, confessis pariter, et oblitis, et a poenis omnibus tibi in Purgatorio debitis propter culpas, et offensas, quas contra Deum, teipsum, et proximum tuum commisisti. In nomine Patris, et Fi † lii, et Spiritus Sancti. Amen.

Et hoc, si hac, qua aegrotas, infirmitate moriaris, sin autem salva tibi sit, donec fueris in mortis articulo constitutus. In nomine Patris, et Fi † lii, et Spiritus Sancti. Amen.

De Matrimonio.

De Missa pro sponso et sponsa.

1. Missa pro sponso et sponsa in Missali assignata dici potest omnibus diebus, exceptis omnibus Dominicis et festis in foro observandis*) necnon duplicibus primae et secundae classis, item exceptis tota octava Epiphaniae et vigilia octavaque Pentecostes, die octava Corporis

*) In celebratione nuptiarum, quae fit extra diem Dominicam, vel aliam diem festum de praecepto, seu in quo occurat duplex I. vel II. cl., etiam si fiat Officium et Missa de festo duplici per annum,

Corporis Christi aliisque diebus duplicia II. classis excludentibus (S. R. C. 20. April 1822); die vero Commemorationis omnium Fidelium defunctorum legi potest (S. R. C. 7. Sept. 1850).

2. Prohibetur Missa pro sponso et sponsa tempore clauso, quo tum benedictio, tum commemoratio nuptiarum in Missa diei fieri nequit (S. R. C. 31. Aug. 1839. et 7. Sept. 1850).

Nec dici potest Missa pro sponsis, nec fieri commemoratio in Missa diei, si infra eandem non fit benedictio, sed ritus benedictionis ab ea abstrahitur (S. R. C. *in Limburg.* 23. Junii 1853); privilegia enim huic Missae concessa sunt propter benedictionem infra eam faciendam.

Si mulier sit vidua, et benedictio nuptiarum in Missa, *et* Missa propria pro sponso et sponsa debet omitti (S. R. C. 3. Mart. 1761), pariter si dicitur Missa diei aut Missa votiva pro devotione sponsorum, commemoratio nuptiarum omittenda est.

3. Missa pro sponsis, sive celebretur *cum cantu et solemnitate*, sive *privata tantum*, ritum semper retinet Missae votivae privatae, in colore albo sine *Gloria* et *Credo* (S. R. C. 28. Febr. 1818); et in fine dicitur *Benedicamus Domino* et ultimum *Evang. S. Joannis.*

4. In *duplicibus* secunda Oratio sumitur ex Missa diei, tertia dicitur tunc tantum, quando facienda est commemoratio octavae, feriae, vigiliae vel simplicis occurentis.

In *semiduplicibus* 2a. Oratio sumitur ex Missa diei, dein aliae commemorationes, si forte faciendae sint, etiam Rogationum (S. R. C. 28. Julii 1832); quodsi nulla occurat, Oratio 3a. dicitur ea, quae in Missa diei secundum locum obtinet. Omnibus diebus supra assignatis, quibus Missa pro sponso et sponsa dici nequit, dicitur Missa diei currentis, cum

---

Gloria,

sive majori, sive minori, dicendam esse *Missam pro sponso et sponsa* in fine Missalis, post alias votivas assignatam; in diebus vero Dominicis aliisque diebus festis de praecepto, ac duplicibus I. et II. cl. dicendam esse Missam de festo cum commemoratione *Missae pro sponso et sponsa* S. R. C. decreto *Urbis et Orbis* diei 7. Januarii 1784 approbante Summo Pontifice Pius VI. declaravit et 25. Sept. 1860 ex eodem decreto novam rubricam confici jussit, quod die 27. Sept. 1860. S. D. N. Pius IX. approbavit.

Gloria, *Credo*, *Ite Missa est* et *ultimo Evangelio*. prout diei conveniunt, et fit commemoratio ex Missa pro sponso et sponsa (cum omnibus Orationibus, quae in eadem Missa pro benedictione nuptiarum habentur) post omnes alias Orationes in Missa diei a rubricis praescriptas, sed *ante imperatas*, *semper* vero *sub distincta conclusione* (S. R. C. 20. April. 1822).

DE BENEDICTIONIBUS
REGULAE GENERALES.

Noverit Sacerdos, quarum rerum benedictiones ad ipsum, et quae ad Episcopum suo jure pertineant, ne majoris dignitatis munera temere, aut imperite unquam usurpet propria auctoritate.

In omni benedictione extra Missam, Sacerdos saltem superpelliceo et stola pro ratione temporis utatur, nisi aliter in Missali notetur.

Stando semper benedicat, et aperto capite. In principio cujusque benedictionis dicat:

℣. † Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde dicatur Oratio propria una, vel plures, prout suo loco notatum fuerit. Postea rem aspergat Aqua benedicta, et ubi notatum fuerit, pariter incenset, nihil dicendo.

Cum Sacerdos aliquid benedicturus est, habeat ministrum cum vase Aquae benedictae et aspergillo, et cum hoc Rituali libro, seu Missali.

Caveat, ne benedictionis causa ponat aliquid indecens super Altare, veluti esculenta; sed quod ejusmodi est, ponatur super mensam, commodo loco paratam.

Ordo
ad faciendam aquam benedictam.

Diebus Dominicis, et quandocumque opus fuerit, praeparato sale et aqua munda benedicenda in Ecclesia, vel Sacristia, Sacerdos superpelliceo et stola violacea indutus, primo dicit:

℣. † Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram. Deinde

Deinde absolute incipit Exorcismum salis.

EXorcizo te creatura salis, per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Deum, qui te per Eliseum Prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquae: ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium: et sis omnibus sumentibus te sanitas animae et corporis; et effugiat, atque discedat a loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia, et nequitia, vel versutia diabolicae fraudis, omnisque spiritus immundus, adjuratus per eum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

OREMUS.

IMmensam clementiam tuam, omnipotens aeterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, bene † dicere, et sancti † ficare tua pietate digneris: ut sit omnibus sumentibus, salus mentis et corporis: et quidquid ex eo tactum, vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritualis nequitiae. Per Dominum.

Exorcismus aquae, et dicitur absolute.

EXorcizo te creatura aquae, in nomine Dei Patris † omnipotentis, in nomine Jesu † Christi Filii ejus Domini nostri, et in virtute Spiritus † Sancti, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici; et ipsum inimicum eradicare et explantare valeas cum angelis suis apostaticis: per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

OREMUS.

Deus qui ad salutem humani generis, maxima quaeque Sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris, et elemento huic multimodis purificationibus praeparato, virtutem tuae bene † dictionis infunde: ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos daemones, morbosque pellendos divinae gratiae sumat effectum, ut quidquid in domibus, vel in locis Fidelium, haec unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiae latentis inimici; et si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus aquae effugiat, atque discedat: ut salubritas per invocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum.

Hic ter mittit sal in aquam in modum Crucis, dicendo semel:

Commixtio salis et aquae pariter fiat in nomine Pa † tris, et Fi † lii, et Spiritus † Sancti. Amen.

℣. **Dominus vobiscum.**

℟. **Et cum spiritu tuo.**

OREMUS.

Deus invictae virtutis auctor, et insuperabilis imperii Rex, ac semper magnificus triumphator: qui adversae dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis saevitiam superas; qui hostiles nequitias potenter expugnas: te, Domine, trementes et supplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam salis et aquae dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuae rore sanctifices, ut ubi-

cumque

cumque fuerit aspersa, per invocationem sancti tui Nominis, omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, et praesentia Sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus, ubique adesse dignetur. Per Dominum, in unitate ejusdem Spiritus, etc.

Post benedictionem Aquae, Sacerdos Dominicis diebus antequam incipiat Missam, aspergit Altare, deinde se, et ministros, ac populum, prout in Missali praescribitur.

Postea Christifideles possunt de ista Aqua benedicta in vasculis suis accipere, et secum deferre ad aspergendos aegros, domos, agros, vineas, et alia, et ad eam habendam in cubiculis suis, ut ea quotidie et saepius aspergi possint.

Benedictio Candelarum

Extra diem Purificationis B. Mariae Virginis.

℣. ✠ **Adjutorium nostrum in nomine Domini.**

℟. **Qui fecit coelum et terram.**

℣. **Dominus vobiscum.**

℟. **Et cum Spiritu tuo.**

OREMUS.

DOmine Jesu Christe, Fili Dei vivi, bene † dic candelas istas supplicationibus nostris: infunde eis, Domine, per virtutem sanctae Cru † cis, benedictionem coelestem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti; talemque benedictionem signaculo sanctae Cru † cis accipiant, ut quibuscumque locis accensae, sive positae fuerint, discedant principes tenebrarum, et contremiscant, et fugiant pavidi cum omnibus ministris suis ab habitationibus illis, nec praesumant amplius inquietare, aut molestare servientes tibi omnipotenti Deo. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

BENEDIC-

Benedictio Domorum

In Sabbato Sancto Paschae.

Parochus, seu alius Sacerdos, superpelliceo et stola alba indutus, cum ministro deferente vas aquae ex benedictione Fontium ante perfusionem Chrismatis acceptae, visitat domos suae Parochiae, aspergens eas eadem Aqua benedicta. Ingrediens domum dicit:

Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.

Deinde aspergens loca praecipua domus, et eos, qui habitant in ea dicit Antiphonam:

Vidi aquam egredientem de templo a latere dextro, alleluja: et omnes, ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt, et dicent alleluja, alleluja. Ps. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in saecula misericordia ejus. ℣. Gloria Patri, etc.

Repetitur Antiphona.

Vidi aquam egredientem, etc.

Deinde dicit:

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, allel.
℟. Et salutare tuum da nobis, alleluja.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

EXaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: et sicut domos Hebraeorum in exitu de Aegypto, agni sanguine linitas (quod Pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, figurabat) ab Angelo percutiente custodisti: ita mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

ALIA

Alia Benedictio Domorum.

Alio tempore facienda cum aspersione aquae benedictae.

Parochus, seu alii Sacerdotes volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos Fidelium alio tempore infra annum aspergere Aqua benedicta, ingredientes domum, dicant:

Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.

Deinde loca aspergendo, dicant Antiphonam:

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor. Ps. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. ℣. Gloria Patri.

Et repetitur Antiphona.

Asperges me, etc.

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

EXaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: et mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat Aqua benedicta.

Benedictio Loci.

℣. ✠ Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

BEnedic ✝, Domine, Deus omnipotens, locum istum (*vel* domum istam): ut sit in eo (*vel* in ea) sanitas, castitas,

castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, et mansuetudo, plenitudo legis, et gratiarum actio Deo Patri, et Filio, et Spiritui Sancto; et haec benedictio maneat super hunc locum (*vel* super hanc domum) et super habitantes in eo (*vel* in ea) nunc et semper. ℟. Amen.

Et aspergat Aqua benedicta.

Alia Benedictio Domus Novae.

℣. ✠ Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

TE Deum Patrem omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo, et habitatoribus ejus, ac rebus; ut eam bene † dicere, et sancti † ficare, ac bonis omnibus ampliare digneris: tribue eis, Domine, de rore coeli abundantiam, et de pinguedine terrae vitae substantiam, et desideria voti eorum ad effectum tuae miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum bene † dicere, et sancti † ficare digneris hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, Isaac, et Jacob: et intra parietes domus istius, Angeli tuae lucis inhabitent; eamque, et ejus habitatores custodiant. Per Christum Dominum nostrum ℟. Amen.

Deinde aspergat Aqua benedicta.

Benedictio Communis.

Super fruges, et vineas.

℣. ✠ Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Do-

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

ORamus pietatem tuam, omnipotens Deus, qui has primitias creaturae tuae, quas aeris et pluviae temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuae imbre perfundas, et fructus terrae tuae usque ad maturitatem perducas. Tribue quoque populo tuo te tuis muneribus tibi semper gratias agere; ut a fertilitate terrae esurientium animas bonis omnibus affluentibus repleas, et egenus et pauper laudent nomen gloriae tuae. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat illas aqua benedicta.

Benedictio Viae ferreae et Curruum.

(approbata a S. R. C.)

℣. ✠ Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui omnia elementa ad tuam gloriam, utilitatemque hominum condidisti; dignare quaesumus hanc viam ferream, ejusque instrumenta bene ✝ dicere, et benigna semper tua providentia tueri; et dum famuli tui velociter properant in via, in lege tua ambulantes, et viam mandatorum tuorum currentes, ad coelestem patriam feliciter pervenire valeant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

ORE-

OREMUS.

PRopitiare Domine Deus supplicationibus nostris et bene ✝ dic currus istos dextera tua sancta; adjunge ad ipsos sanctos Angelos tuos, ut omnes, qui in eis vehentur, liberent et custodiant semper a periculis universis; et quemadmodum viro Aethiopi super currum suum sedenti et sacra eloquia legenti, per Levitam tuum Philippum fidem et gratiam contulisti: ita famulis tuis viam salutis ostende, qui tua gratia adjuti bonisque operibus jugiter intenti, post omnes viae et vitae hujus varietates aeterna gaudia consequi mereantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos aspergat viam et currus aqua benedicta.

Benedictio ad Omnia.

(approbata a S. R. C.)

Haec benedictionis formula adhiberi potest a quovis Sacerdote pro omnibus rebus, de quibus specialis benedictio non habetur in Rituali Romano.

℣. ✝ **Adjutorium nostrum in nomine Domini.**
℟. **Qui fecit coelum et terram.**
℣. **Dominus vobiscum.**
℟. **Et cum spiritu tuo.**

OREMUS.

DEus, cujus verbo sanctificantur omnia, bene ✝ dictionem tuam effunde super creaturam istam *vel* creaturas istas et praesta: ut quisquis ea *vel* eis secundum legem et voluntatem tuam cum gratiarum actione usus fuerit, per invocationem sanctissimi nominis tui corporis sanitatem et animae tutelam, te auctore, percipiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde illam (vel illas) Sacerdos aspergat aqua benedicta.

Benedictio Esculentorum

Praesertim in Pascha.

Benedictio Agni Paschalis.

℣. ✠ Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEus, qui per famulum tuum Moysen, in liberatione populi tui de Aegypto, agnum occidi jussisti in similitudinem Domini nostri Jesu Christi, et utrosque postes domorum de sanguine ejusdem agni perungi praecepisti: tu bene † dicere et sancti † ficare digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam sumere desideramus, per resurrectionem ejusdem Domini nostri Jesu Christi: Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Et mox aspergat aqua benedicta.

Benedictio Ovorum.

℣. ✠ Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

SUbveniat, quaesumus Domine, tuae bene † dictionis gratia, huic Ovorum creaturae: ut cibus salubris fiat fidelibus tuis, in tuarum gratiarum actione sumentibus, ob resurrectionem Domini nostri Jesu Christi: Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Et aspergat aqua benedicta.

Benedictio Panis.

℣. ✠ Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DOmine Jesu Christe, panis Angelorum, panis vivus aeternae vitae, bene † dicere dignare panem istum, sicut benedixisti quinque panes in deserto: ut omnes ex eo gustantes, inde corporis et animae percipiant sanitatem. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Et aspergat aqua benedicta.

Alia Benedictio Panis.

℣. ✠ Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DOmine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, bene † dicere digneris hunc panem tua sancta spirituali benedictione: ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis; atque contra omnes morbos et universas inimicorum insidias tutamen. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, panem vivum, qui de coelo descendit et dat vitam et salutem mundo: et tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

Benedictio Novorum Fructuum.

℣. ✠ Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

BEne † dic, Domine, hos novos fructus N. et praesta: ut, qui ex eis in tuo sancto nomine vescentur, corporis et animae salute potiantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

Benedictio ad quodcunque Comestibile.

℣. † Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

BEne † dic, Domine, creaturam istam N., ut sit remedium salutare generi humano: et praesta per invocationem sancti nominis tui, ut quicunque ex ea sumpserint, corporis sanitatem et animae tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

Benedictio Olei Simplicis.

℣. † Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.

EXORCISMUS.

EXorcizo te creatura olei per Deum Patrem † omnipotentem, qui fecit coelum et terram, mare et omnia, quae in eis sunt. Omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli et omnis incursus, omne phantasma satanae eradicare et effugare ab hac creatura olei, ut fiat omnibus, qui eo usuri sunt, salus mentis et corporis, in nomi-

ne

ne Dei Patris † omnipotentis et Jesu † Christi Filii ejus Domini nostri et Spiritus † Sancti Paracliti et in caritate ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos et saeculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DOmine Deus omnipotens, cui adstat exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale cognoscitur, dignare respicere, bene † dicere et sancti † ficare hanc creaturam olei, quam ex olivarum succo eduxisti et ex eo infirmos inungi mandasti, quatenus sanitate percepta, tibi Deo vivo et vero gratias agerent: praesta, quaesumus, ut hi, qui hoc oleo, quod in tuo nomine bene † dicimus, usi fuerint, ab omni languore omnique infirmitate atque cunctis insidiis inimici liberentur et cunctae adversitates separentur a plasmate tuo, quod pretioso Sanguine Filii tui redemisti, ut nunquam laedatur a morsu antiqui serpentis. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Aspergat oleum aqua benedicta.

Benedictiones ab Episcopis, vel aliis facultatem habentibus faciendae.

Benedictio Sacerdotalium Indumentorum in genere.

℣. † Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram. ℣. Do-

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

OMnipotens, sempiterne Deus, qui per Moysen famulum tuum Pontificalia et Sacerdotalia, seu Levitica vestimenta, ad explendum in conspectu tuo ministerium eorum, ad honorem et decorem nominis tui fieri decrevisti: adesto propitius invocationibus nostris: et haec indumenta sacerdotalia, desuper irrigante gratia tua, ingenti benedictione per nostrae humilitatis servitium purifi✝care, bene✝dicere et conse✝crare digneris: ut divinis cultibus et sacris mysteriis apta et benedicta existant: his quoque sacris vestibus Pontifices et Sacerdotes, seu Levitae tui induti, ab omnibus impulsionibus, seu tentationibus malignorum spirituum muniti et defensi esse mereantur; tuisque mysteriis apte et condigne servire et inhaerere, atque in his tibi placite et devote perseverare tribue. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Deus, invictae virtutis triumphator et omnium rerum creator ac sanctificator: intende propitius preces nostras: et haec indumenta Leviticae, Sacerdotalis et Pontificalis gloriae, ministris tuis fruenda tuo ore proprio bene✝dicere, sancti✝ficare et conse✝crare digneris: omnesque eis utentes, tuis mysteriis aptos et tibi in eis devote ac laudabiliter servientes, gratos efficere digneris. Per Dominum, etc.

OREMUS.

Domine, Deus omnipotens, qui vestimenta Pontificibus, Sacerdotibus et Levitis in usum tabernaculi foederis ne-

cessa-

cessaria Moysen famulum tuum agere jussisti, eumque spiritu sapientiae ad id peragendum replevisti: haec vestimenta in usum et cultum mysterii tui bene † dicere, sancti † ficare et conse † crare digneris; atque ministros Altaris tui, qui ea induerint, septiformis Spiritus gratia dignanter repleri atque castitatis stola, beata facias cum bonorum fructu operum, ministerii congruentis immortalitate vestiri. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit ipsa indumenta aqua benedicta.

Specialis Benedictio cujuslibet Indumenti.

℣. † Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEus omnipotens, bonarum virtutum dator et omnium benedictionum largus infusor, supplices te rogamus, ut manibus nostris opem tuae benedictionis infundas et has caligas et sandalia, *vel* amictum, *vel* albam, *vel* cingulum, *vel* stolam, *vel* manipulum, *vel* tunicellam, *vel* dalmaticam, *vel* planetam divino cultui praeparatam virtute Sancti Spiritus bene † dicere, sancti † ficare et conse † crare digneris et omnibus ea, *vel* eo, *vel* eis utentibus gratiam sanctificationis sacri mysterii tui benignus concede, ut in conspectu tuo sancti et immaculati atque irreprehensibiles appareant et auxilium misericordiae tuae acquirant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergat ea aqua benedicta.

BENE-

Benedictio Mapparum, sive Linteaminum Altaris.

℣. ✠ Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

EXaudi, Domine, preces nostras: et haec linteamina sacri Altaris usui praeparata, bene ✝ dicere et sancti ✝ ficare digneris: Per Christum Dominum nostrum:

OREMUS.

Domine, Deus omnipotens, qui Moysen famulum tuum, ornamenta et linteamina facere per quadraginta dies docuisti, quae etiam Maria texuit et fecit in usum ministerii et tabernaculi foederis: bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare et con ✠ secrare digneris haec linteamina ad tegendum involvendumque Altare gloriosissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergat ea aqua benedicta.

Benedictio Corporalium.

℣. ✠ Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

CLementissime Domine, cujus inenarrabilis est virtus, cujus mysteria arcanis mirabilibus celebrantur: tribue, quaesumus, ut hoc linteamen tuae propitiationis bene ✝ dictione sanctificetur ad consecrandum super illud Corpus et Sanguinem Dei et Domini nostri Jesu Christi

Filii

Filii tui: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne Deus, bene † dicere, sancti †-ficare et conse † crare digneris linteamen istud ad tegendum involvendumque Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi Filii tui: Qui tecum vivit et regnat in unitate etc. ℟. Amen.

OREMUS.

Omnipotens Deus, manibus nostris opem tuae benedictionis infunde: ut per nostram bene † dictionem hoc linteamen sanctificetur et Corporis ac Sanguinis Redemptoris nostri novum sudarium, Spiritus Sancti gratia efficiatur. Per eundem Dominum nostrum, in unitate ejusdem Spiritus Sancti, etc. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

Benedictio Tabernaculi,

Seu Vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda.

℣. † Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

OMnipotens, sempiterne Deus, majestatem tuam supplices deprecamur, ut vasculum hoc pro Corpore Filii tui Domini nostri Jesu Christi in eo condendo fabricatum, bene † dictionis tuae gratia dicare digneris. Per eundem Dominum. ℟. Amen.

Deinde aspergat illud aqua benedicta.

Be-

Benedictio Novae Crucis.

℣. ✠ Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

ROgamus te, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: ut digneris bene † dicere hoc signum Crucis tuae, ut sit remedium salutare generi humano; sit soliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum; sit solamen et protectio ac tutela contra saeva jacula inimicorum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Alia Oratio ad idem.

BEne † dic, Domine Jesu Christe, hanc Crucem tuam, per quam eripuisti mundum a potestate daemonum et superasti Passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in praevaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem. *Hic aspergat aqua benedicta.* Sanctificetur hoc signum Crucis in nomine Pa † tris et Fi † lii et Spiritus † Sancti, ut orantes inclinantesque se propter Dominum ante istam Crucem, inveniant corporis et animae sanitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos genuflexus ante Crucem devote adoratur et osculatur et idem faciunt quicunque voluerint.

Benedictio Imaginum D. N. J. Ch., B. M. V. et aliorum Sanctorum.

℣. ✠ Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. ORE-

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines *sive* effigies sculpi, aut pingi non reprobas, ut quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus et sanctitatem ad imitandum memoriae oculis meditemur: hanc, quaesumus, imaginem *seu* sculpturam in honorem et memoriam unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, *vel* beatissimae Virginis Mariae matris Domini nostri Jesu Christi, *vel* beati N. Apostoli tui, *vel* Martyris, *vel* Confessoris, *aut* Pontificis, *aut* Virginis, adaptatam bene ✝ dicere et sancti ✝ ficare digneris: et praesta, ut quicunque coram illa unigenitum Filium tuum, *vel* beatissimam Virginem, *vel* gloriosum Apostolum, *sive* Martyrem, *sive* Confessorem, *aut* Virginem, suppliciter colere et honorare studuerit, illius meritis et obtentu a te gratiam in praesenti et aeternam gloriam obtineat in futurum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ultimo aspergat aqua benedicta.

Benedictio Trisagii Sanctissimae Trinitatis.

℣. ✝ Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, qui per Filium tuum Unigenitum ac per Prophetas et Apostolos tuos Sanctissimae Trinitatis Mysterium revelare dignatus es: ut Sanctorum Angelorum Choros imitantes in terris dignas et

et devotas tibi laudes referamus, tuam obsecramus clementiam, ut haec Trisagia, [*vel* hoc Trisagium] quae, [*vel* quod] in honorem et laudem ejusdem Sanctissimae Trinitatis, ab Ecclesia fideli dicata sunt, [*vel* dicatum est] bene✠dicas et sancti✠fices eisque, [*vel* eique] tantam infundas Spiritus Sancti virtutem, ut quicunque horum quodlibet portaverit, atque in domo sua reverenter servaverit, seu devote recitaverit, tua divina virtute ab omnibus animae et corporis periculis eruatur, sitque consors et particeps Gratiarum omnium, Privilegiorum et Indulgentiarum, quae ab Apostolica Sede concessa fuerint, atque in exitu suo a sanctis Angelis tuis in conspectu divinae majestatis praesentari mereatur. Per Dominum nostrum, etc.

Postea aspergatur aqua benedicta.

Benedictio Candelarum Societatis Ss. Rosarii.

℣. ✠ Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, lux vera, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum: effunde per intercessionem Virginis Mariae Matris tuae et per quindecim ejus Rosarii mysteria, bene✠dictionem tuam super hos Cereos et Candelas et sanctifica eas lumine tuae gratiae: et concede propitius, ut sicut haec luminaria igne visibili accensa nocturnas depellunt tenebras, ita corda nostra invisibili igne ac Spiritus ✠ Sancti splendore illustrata

lustrata, omnium vitiorum caecitate careant; ut puro mentis oculo cernere semper possimus, quae tibi sunt placita et nostrae saluti utilia, quatenus post hujus saeculi caliginosa discrimina, ad lucem indeficientem pervenire mereamur. Qui vivis et regnas, etc. ℟. Amen.

Deinde aspergantur aqua benedicta.

Benedictio Rosarum Societatis Ss. Rosarii.

℣. ✠ Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEus, creator et conservator generis humani, dator gratiae spiritualis et largitor aeternae salutis: benedictione tua sancta bene ✠ dic has Rosas, quas pro gratiis tibi exsolvendis cum devotione ac veneratione beatae semperque Virginis Mariae ejusque Rosarii, hodie tibi praesentamus et petimus benedici et infundi in eis per virtutem sanctae Cru ✠ cis benedictionem coelestem, ut qui eas ad odoris suavitatem et repellendas infirmitates humano usui tribuisti, talem signaculo sanctae Cru ✠ cis benedictionem accipiant, ut quibuscumque in infirmitate appositae fuerint, seu qui eas in domibus suis portaverint, ab infirmitate sanentur, discedant diaboli, contremiscant et fugiant pavidi cum suis ministris de habitationibus illis, nec amplius tibi servientes inquietare praesumant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergantur aqua benedicta.

Be-

Benedictio Cinguli S. Thomae Aquinatis ad servandam castitatem.

(Propria Ordinis Praedicatorum.)

℣. ✝ Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, puritatis amator et custos, obsecramus immensam clementiam tuam: ut sicut ministerio Angelorum sanctum Thomam Aquinatem cingulo castitatis cingere et a labe corporis ac animae praeservare fecisti: ita ad honorem et gloriam ejus bene ✝ dicere et sancti ✝ ficare digneris cingula ista, ut quicunque ipsa circa renes reverenter portaverit ac tenuerit, ab omni immunditia mentis et corporis purificetur, atque in exitu suo per manus sanctorum Angelorum tibi digne praesentari mereatur. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

Formula Receptionis in Confraternitatem Cordigerorum S. Francisci.

℣. ✝ Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Do-

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DOmine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui funibus in Passione ligari voluisti et beatum Petrum Apostolum tuum a vinculis absolutum illaesum abire fecisti; te suppliciter deprecamur, ut hunc funiculum, quem ad imitationem almi Patris nostri Francisci, confessoris atque signiferi tui in cingulum corporis sui creatura elegit, et ut strictius tibi conjungatur atque firmius famuletur, ferre decrevit, bene ✝ dicere et una cum famulo tuo, qui (*vel* famula tua, quae) ea cingetur, sancti ✝ ficare digneris, ut lumbos suos castitate praecinctos gerat, sitque illi justitia cingulum lumborum ejus et fides cinctorium renum ejus. Da ei, quaesumus Domine, Spiritum Sanctum tuum, qui eum (*vel* eam) in bono proposito conservet, fide et operibus augeat, omnium virtutum incrementa praebeat, dona sua concedat et tandem ad aeternam gloriam conducat, in qua vivis et regnas cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Am.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ut servos vinctos absolveres, Filium tuum Unigenitum funibus ligari voluisti: bene ✝ dic, quaesumus, funiculum istum, ut famulus tuus, qui (*vel* famula tua, quae) eo velut ligamine poenitentiali cingi ambit, vinculorum ejusdem Filii tui Domini nostri Jesu Christi memor existat, et in statu devotionis salubriter perseveret, a peccatorum suorum funibus

solutus

solutus (*vel* soluta) tuis cum effectu semper obsequiis ligatum (*vel* ligatam) se esse cognoscat. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Cingulum aqua benedicta aspergit et Candidatum praecingit Sacerdos dicens:

Accipe cingulum istud et paratus (*vel* parata) esto alligari et mori pro Domino nostro Jesu Christo, qui praecingat lumbos mentis tuae cingulo puritatis, ut permaneat in te virtus continentiae et castitatis, ut Deo semper in omnibus obedias. ℟. Amen.

OREMUS.

Deus, qui beato Petro Apostolo tuo praedixisti in senectute sua per alium fore cingendum; famulum tuum, quem (*vel* famulam tuam, quam) cingulo nostrae fraternitatis praecinximus, tua quaesumus chorda salutari cor ejus Christiana praecinge disciplina, ut tua opitulante gratia solutus et liberatus [*vel* soluta et liberata] a vitiis tuoque vinctus [*vel* vincta] servitio, in statu devotionis usque in finem jugiter perseveret. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Benedictio sanctissimae Trinitatis, Patris et Fi ✝ lii et Spiritus Sancti, descendat super te; ut sicut chorda corpus tuum circumdas, ita animam fide Jesu Christi et bonis operibus decores, quatenus suam gratiam in hoc saeculo et in futuro gloriam habeas aeternam. ℟. Amen.

Benedictio et Impositio Cincturae Beatae Mariae Virginis.

(Propria Ordinis Eremitarum S. Augustini.)

Sacerdos superpelliceo ac stola alba indutus dicat:

℣. ✝ Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟.

℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, qui peccatoribus pietatis tuae misericordiam quaerentibus, veniam et misericordiam tribuis; oramus clementiam tuam, ut hanc corrigiam bene ✝ dicere et sancti ✝ ficare digneris, ut omnis persona, quae pro peccatis suis illa praecincta fuerit atque eam portaverit, gratam tibi continentiam, mandatorumque tuorum obedientiam servet et intercedentibus beata Maria semper Virgine, ac sanctis Augustino et Monica, veniam peccatorum suorum obtineat et vitam consequatur aeternam. Per Christum Dominum nostrum.

OREMUS.

Precamur te, Domine sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus, ut hanc corrigiam in signum puritatis bene ✝ dicas ad restringendos lumbos et renes et voluntatem sub tua lege comprimendam, ut quicunque illam devotionis studio semper portaverit et misericordiam tuam imploraverit, veniam et indulgentiam tuae sanctissimae misericordiae consequatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedictio Coronae.

Domine Jesu Christe, qui discipulos tuos orare docuisti, suscipe quaesumus bene ✝ dicendo orationes famulorum famularumque tuarum, ut illorum oratio a te semper incipiat et per te coepta finiatur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen. Be-

Benedictio Personae.

ADesto, Domine, supplicationibus nostris, ut hic famulus tuus (*vel* haec famula tua), cui in tuo sanctissimo Nomine hanc corrigiam imponimus, te largiente semper devote in sancta Religione persistat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde ipsam aspergat aqua benedicta. Postea eam cingens corrigia dicat:

Accipe corrigiam super lumbos tuos, ut sint lumbi tui praecincti in signum temperantiae et castitatis. In nomine Patris et Fi † lii et Spiritus Sancti. Amen.

Deinde dicat Sacerdos:

Dominus, qui coepit in nobis opus bonum et ipse perficiat, et augmentum gratiae et gloriae, meritis beatae Mariae semper Virginis et sancti Augustini, ejusque devotissimae matris Monicae vobis concedat. Amen.

Et ego auctoritate, qua fungor, indultoque Apostolico mihi commisso, vos recipio atque accepto et participes omnium bonorum, quae fiunt per totum Ordinem sancti Augustini, constituo.

Benedictio Dei omnipotentis Patris et Fi † lii et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper. Amen.

Benedictio et Impositio Chordae S. Francisci.

(Propria Ordinis Minorum Conventualium.)

Sacerdos indutus superpelliceo ac stola alba dicat:

℣. † Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Ora pro nobis, beate Pater Francisce.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi. ℣.

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui ut servum redimeres, Filium tuum per manus impiorum ligari voluisti, bene † dic, quaesumus, funem istum et praesta: ut famulus tuus, qui eo velut ligamine poenitentiali sui corporis cingetur, vinculorum ejusdem Domini nostri Jesu Christi perpetuo memor existat et in Ordine, quem assumpsit, perenniter perseveret, tuisque cum affectu semper obsequiis se alligatum esse cognoscat. Per Dominum nostrum, etc.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui omnibus quaerentibus veniam et misericordiam, quaesita et optata misericorditer tribuisti: oramus immensam clementiam tuam, ut has chordas (*vel* hanc chordam) bene † dicere et sanctificare digneris, ut quicunque iis (*vel* ea) pro peccatis suis cincti fuerint [*vel* cinctus fuerit] et clementiam tuam imploraverint [*vel* imploraverit], meritis et intercessione beatissimi servi tui Francisci, veniam et indulgentiam suorum peccatorum fructumque tuae sanctae misericordiae consequantur [*vel* consequatur]. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde aspergatur aqua benedicta; mox Sacerdos cingendo cum chorda dicat:

Accipe chordam super lumbos tuos et sint lumbi tui praecincti in signum castitatis. In nomine Patris et Fi † - lii et Spiritus Sancti. Amen.

Benedictio et Impositio Cinguli lanei pro Chordigeris S. Francisci de Paula.

(Propria Ordinis Minimorum.)

Sacerdos superpelliceo et stola albi coloris indutus signans se signo crucis dicit:

℣. ✝ Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne et misericors Deus, qui pietatis tuae indulgentiam peccatoribus quaerentibus, veniam et misericordiam tribuisti: oramus immensam clementiam tuam, ut hoc cingulum laneum [*vel* haec cingula lanea] bene ✝ dicere et sanctificare digneris: ut quicunque pro peccatis suis cincti fuerint et misericordiam tuam imploraverint, intercedente beato Francisco, veniam et indulgentiam tuae sanctae misericordiae consequantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur aqua benedicta, deinde porrigit dicens:

Accipe cingulum super lumbos tuos, ut sint lumbi tui praecincti in signum castitatis et temperantiae. In nomine Patris et Fi ✝ lii et Spiritus Sancti. Amen.

Benedictio et Impositio Habitus vel Scapularis nigri Sanctissimae Crucis Passionis D. N. J. C.

(Propria Congregationis Clericorum Regularium Ss. Crucis et Passionis D. N. Jesu Christi.)

Sacerdos indutus superpelliceo et stola rubea, eo genuflexo, cui Habitum vel Scapulare est imponendum, dicit:

℣. ✝ Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram. ℣. Do-

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi et lancea vulnerari: tu Domine, per has sanctissimas poenas tuas et sanctam Crucem et Mortem tuam hujus famuli tui [*vel* famulae tuae] intellectum illumina, affectum inflamma, ut caritatis tuae dulcedine perfusus [*vel* perfusa) lacrymis compunctionis jugiter effundat totaque virtute te diligat et quae tibi placita sunt tota dilectione perficiat. Qui vivis et regnas cum Deo Patri, etc.

℣. ✠ Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui tegumen mortalitatis nostrae assumere dignatus es, te humiliter deprecamur, ut hoc indumen-

indumentum, quod in memoriam tuae sanctissimae Passionis et Mortis institutum fuit, bene † dicere et sancti † - ficare digneris, ut hic famulus tuus, qui *vel* haec famula tua quae, ipsum gestaverit, ejusdem Passionis particeps effectus *vel* effecta, aeternam gloriam tuam consequi mereatur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Am.

Hic Sacerdos sacrum Habitum vel Scapulare aspergit aqua benedicta et illud imponit dicens:

Induat te Dominus novum hominem, ut hac lugubri poenitentiae tessera munitus jugiter aspicias ad Jesum, quem manus impiorum confixerunt et doleas super eum ut doleri solet in morte primogeniti. ℟. Amen.

Deinde subjungit:

Et ego ex facultate mihi concessa recipio te ad participationem omnium bonorum spiritualium, quibus ex Apostolico Privilegio gaudet Congregatio Sanctissimae Crucis et Passionis Domini Nostri Jesu Christi. In nomine Patris et Fi † lii et Spiritus Sancti. Amen.

In fine tandem:

Passio Domini Nostri Jesu Christi sit semper in cordibus nostris. Amen.

MONITA.

Illi soli libri adhibendi, et in illis tantum benedictionibus, quae Rituali Romano sunt conformes. S. C. R. 7. April. 1832. Nec aliae adhibeantur benedictiones, dummodo non constet ab hac Sacra Congregatione fuisse approbatas. S. R. C. 23. Maj. 1835.

Per Decretum Indicis §. 4. n. 7. prohibitae sunt „Rituali Romano additiones omnes factae aut faciendae post reformationem Pauli V. sine approbatione Sacrae Congregationis Rituum".

Benedicendi congruentior modus est manu recta, et digitis unitis ac extensis. S. R. C. 24. Jun. 1683. Bene-

Benedictio Crucis, positae in eminenti loco ad arcendas tempestates, fieri potest de licentia Episcopi. S. R. C. 7. Aug. 1628.

Benedictio cum Reliquia alicujus Sancti post Processionem impertiri potest, non autem debet. S. R. C. 24. Jun. 1683.

Benedictio cum Reliquia vivificae Crucis impertiri potest antequam reponatur. S. R. C. 15. Sept. 1736. — Nec genuflectendum est in ea thurificanda, aut a transeuntibus ante Altare, in qua reconditur. S. R. C. Ibidem.

Benedictio per manum Sacerdotis dicendo: Benedictio Dei omnipotentis etc. dari potest populo post Vesperas, Litanias et Preces. S. R. C. 27. Aug. 1836.

Benedictio Lectoris Mensae.

Qualibet die Dominica post Nonam (dicto Benedicamus Domino), genuflexus Lector in medio chori dicit:

℣. Domine labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.

Et repetitur ab omnibus: quod fit tertio. Postea Abbas dicit:

℣. Salvum fac servum tuum.

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tueatur te.

℣. Dominus custodiat te ab omni malo.

℟. Custodiat animam tuam Dominus.

Absolute sine Oremus.

DOminus custodiat introitum tuum et exitum tuum, et auferat a te spiritum elationis. Qui vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Ordo ad disciplinam faciendam.

In primis facto signo a Superiore, hebdomadarius incipit absolute:

℣. Servite Domino in timore.

℟. Et exultate ei cum tremore. ℣. Ap-

℣. Apprehendite disciplinam.

℟. Nequando irascatur Dominus et pereatis de via justa.

℣. Cum exarserit in brevi ira ejus.

℟. Beati omnes, qui confidunt in eo.

℣. Gloria Patri et Filio, etc. ℟. Sicut erat, etc.

Psalm. 50. Miserere mei Deus, ut pag. 71. et in fine dicitur Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis.

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Mitte nobis auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere nos.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEus, cui proprium est miserere semper et parcere, suscipe deprecationem nostram: ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Christum Domi-

num nostrum. ℟. Amen.

Deinde *Psalm.* 129. De profundis clamavi ad te Domine, etc. ut pag. 72. et in fine dicitur Requiem aeternam dona eis Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

FIdelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Sed continuo sine Oremus *dicitur*

REspice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen. ℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Feria iv. v. et vi. in Hebd. majori inchoatur absolute a Psalm. Miserere, in cujus fine non dicitur Gloria Patri, etc., sed immediate sequitur Psalm. De profundis, etc. nec in fine dicitur Requiem aeternam, etc. nec Oratio aliqua, sed dicto secreto Pater noster, dicitur Oratio Respice quaesumus Domine, clara voce usque ad Qui tecum, quod sub silentio dicitur; et sub silentio omnes discedunt.

Quotidie post Nonam (dicto Divinum auxilium, etc.) dicitur:

Oratio ad B. Virginem contra pestem.

Stella coeli extirpavit,
Quae lactavit Dominum,
Mortis pestem, quam plantavit,
Primus parens hominum.

Ipsa Stella nunc dignetur
Sidera compescere,
Quorum bella plebem caedunt
Diro mortis ulcere.

O gloriosa stella maris!
Pestiferis succurre morbis.
Audi nos, Domina, nam te Filius, nihil negans, honorat.
Salva nos Jesu, pro quibus Virgo Mater te orat. ℟. Amen.

℣. Ora pro nobis sancta Dei genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

DEus misericordiae, Deus pietatis, Deus indulgentiae, qui misertus es super afflictionem populi tui et dixisti Angelo percutienti populum tuum: Sufficit; nunc contine manum tuam ob amorem illius Stellae gloriosae, cujus Ubera pretiosa contra venenum delictorum nostrorum quam dulciter suxisti: praesta auxilium gratiae tuae, ut ab omni peste et improvisa morte secure liberemur et a totius perditionis incursu salvemur, per te Jesu Christe, Salvator mundi, Rex gloriae. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Preces dicendae a Meridie post refectionem.

Hymnus S. Thomae Aquinatis.

Pange lingua gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus,
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In

In supremae nocte coenae
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae
Se dat suis manibus.

Verbum Caro panem verum
Verbo Carnem efficit:
Fitque Sanguis Christi merum,
Et si sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui;
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.

Genitori Genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque.
Sit et benedictio:
Procedenti ab Utroque
Compar sit laudatio. Amen.

℣. Panem de coelo praestitisti eis.

℟. Omne delectamentum in se habentem.

Tempore Pasch. et per Oct. Corp. Chri additur **Alleluja.**

OREMUS.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuae memoriam reliquisti: tribue quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari; ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

UNIO
Precum et bonorum Operum ad excitandum Spiritum Ss. P. N. Benedicti.

SCOPUS UNIONIS.

Quum in hoc miserrimo temporum statu Religiosi Ordines tam publice, quam occulte a pluribus Ecclesiae hostibus affligantur, ita ut multi Regularium coetus jam penitus sint eversi, alii autem proximam videantur minari ruinam: nonnulli Monachi Ordinis Ss. P. N. Benedicti in Italia, in Galliis, in Anglia, in Helvetia, Bavaria, Ungaria et in terris Imperii Austriaci germanici, aliisque regionibus piam Unionem inire decreverunt ad implorandum Divinum Auxilium, ut Deus sacratas Sibi familias conservet et vivificet, neque

unquam

unquam eas tradat in manus inimicorum, ut, Qui olim Spiritum Sanctum Suum in Patribus nostris suscitaverit, Eundem resuscitet in Filiis, ut sanctam monasticam disciplinam, ubi viget conservet et augeat; ubi autem defecerit, renovet novisque instauret incrementis virtutum.—Certum est per hanc Unionem, mentem Summi Pontificis PII IX. admodum juvari, qui ab ipso initio Pontificatus sui Epistola Encyclica, proximis vero diebus non jam verbis, sed factis fervorem Ordines Religiosos renovandi ostendit. Ad hanc vere piam, vere fraternam Unionem omnes omnino Filii Ss. P. N. Benedicti quam amicissime invitantur.

STATUTA UNIONIS.

1. Socii hujus Unionis omnia sui status officia summa, qua possunt diligentia adimpleant, Regulam Sacram et Congregationis, seu Monasterii sui Constitutiones strenue observent, paupertatem studiosius colant, et omnia fideliter persolvere studeant, quae spiritus Ordinis Nostri ab eis poscit. **2.** Omni die mane cuncta opera sua, exercitia spiritualia, mortificationes, res adversas, observationes monasticas, Deo juxta finem Unionis offerant. **3.** Ss. Missae Sacrificio semper ad Memento pro vivis et defunctis, speciatim orent pro Sociis Unionis et pro omnibus, qui sub Regula Ss. P. N. Benedicti militant; praecipue autem pro Superioribus ac Tyronibus S. Ordinis Nostri. **4.** Socii quotidie efflagitent patrocinium B. Mariae Virginis, Singularis S. Ordinis Nostri Protectricis, per Antiphonam „Sancta Maria succurre miseris" infra positam ex operibus S. Augustini fideliter desumptam. **5.** Pro excitando et augendo spiritu religioso Socii filiali erga Ss. P. N. Benedictum studeant devotioni, summae quoque aestimationi Ordinis ab eo instituti, ac singulari cultui Sanctorum ejusdem Ordinis, quem in finem quotidie recitent Antiphonam „Sanctissime Confessor" una cum Orationibus annexis. 6. Summopere optandum est, ut Socii, in quantum Superiores permittunt, alii alios de bono rerum successu certiores faciant seseque mutuo excitent et adhortentur.

PRECES UNIONIS.

SAncta MARIA succurre miseris, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro Monanachorum choro, exora pro devoto foemineo sexu, sentiant

ant omnes tuum juvamen, quicunque devote celebrant tuum sanctum Nomen.

Sanctissime Confessor Domini, Monachorum Pater et Dux Benedicte, intercede pro nostra omniumque salute.

℣. Domine Deus virtutum converte nos.

℟. Et ostende faciem tuam et salvi erimus.

OREMUS.

Excita Domine in Ecclesia tua spiritum, cui beatus Pater noster Benedictus Abbas servivit, ut eodem nos repleti studeamus amare, quod amavit et opere exercere, quod docuit.

Da nobis, quaesumus Domine, perseverantem in tua voluntate famulatum: ut in diebus nostris et merito et numero, populus tibi serviens augeatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ex Audientia Ssmi.—Ssmus Dnus Noster PIUS Papa IX. omnibus Monachis ac Monialibus praefati Ordinis praefataeque Unioni adscriptis, nec non in posterum adscribendis, supra enuntiatas preces corde saltem contrito et devote recitantibus, trecentum dierum Indulgentiam semel in quolibet anni die acquirendam, benigne in perpetuum concessit absque ulla Brevis Expedit.

Datum Romae ex Secria S. Congnis Indulg. die 29. Novembris 1853.

F. Card. Asquinius Praef. A. Colombo Secrius.

SUFFRAGIA.

1. Ad honorem Ss. Angelorum Custodum. Pater noster et Ave.	1. Zu Ehren unserer hl. Schutzengel. Vater unser. Gegrüßet seist.
2. Pro Revdmo D. Abbate.	2. Für den hochw'sten Herrn Abt.
3. Pro benefactoribus nostris.	3. Für unsere Wohlthäter.
4. Pro Sociis Unionis.	4. Für unsere Verbündeten.
5. Pro infirmis absentibusque Confratribus.	5. Für unsere kranken und abwesenden Mitbrüder.
6. Pro conversione peccatorum, haereticorum, et infidelium. 7. (Pro	6. Für die Bekehrung der Sünder, Irr- und Ungläubigen. 7. (Für

7. (Pro noviter defunctis, aut graviter aegrotantibus Confratribus.) 7. (Für kürzlich verstorbene, oder schwerkranke Mitbrüder.)

8. Pro defunctis Confratribus. 8. Für die verstorbenen Mitbrüder.

9. Pro Fidelibus defunctis. 9. Für die armen Seelen im Fegfeuer.

℣. Requiem æternam dona eis, Dne. ℣. Herr, gib ihnen die ewige Ruhe.

℟. Et lux perpetua luceat eis. ℟. Und das ewige Licht leuchte ihnen.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen. ℣. Laß sie ruhen im Frieden. ℟. Am.

Post refectionem serotinam.

Hymnus S. Thomae Aquinatis ad S. Eucharistiam.

Adoro te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas:
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans, totum deficit.
Visus, tactus, gustus in te fallitur
Sed auditu solo tuto creditur:
Credo quidquid dixit Dei Filius,
Nil hoc verbo veritatis verius.
In cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto, quod petivit latro poenitens.
Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor:
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus vitam praestans homini
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.
Pie pellicane Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine:
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.
Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat illud, quod tam sitio:
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae. Amen.

Preces vespertinae.

Litaniae B. V. Mariae, ut hab. pag. 83.

SUb tuum praesidium confugimus sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa et benedicta.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde, ut, qui Angelo nuntiante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus et Crucem ad resurrectionis gloriam perducamur.

Oratio S. Joseph.

Sanctissimae genitricis tuae sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur, ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur.

Oratio Ss. P. N. Benedicti.

Excita, Domine, in Ecclesia tua Spiritum, cui beatus Pater Noster Benedictus Abbas servivit, ut eodem nos repleti, studeamus amare, quod amavit et opere exercere, quod docuit. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Am.

Suffragia

pro Deffunctis quotidie in mense Novembri facienda.

Cantatur Psalm. 50. Miserere mei Deus, etc. ut pag. 71. et in fine Requiem aeternam, etc.

℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Do-

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEus, qui inter Apostolicos sacerdotes famulos tuos Pontificali, seu Sacerdotali fecisti dignitate vigere: praesta, quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator: quaesumus clementiam tuam, ut nostrae Congregationis fratres (propinquos et benefactores), qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Requiem aeternam dona eis Domine.
℟. Et lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

Deinde exponitur, si placet, Ss. Sacramentum more solito et datur Benedictio.

Ordo
ad visitandum Coemeterium in Commemoratione Omnium Fidelium Deffunctorum.

Praecedat Crucifer indutus superpelliceo cum Acolythis et Candelabris. Sequantur bini et bini omnes, qui in Processionibus incedere solent. Ultimo R. R. Abbas in Pluviali et Mitra, medius inter Diaconum et Subdiaconum indutos Dalmaticis absque manipulis.—Si

alius celebret. assumit Pluviale et nihilominus R. R. Abbas incedat ultimo loco indutus mozzeta medius inter duos Patres cum Cucullis.

Per viam Chorus cantat Pss. *De profundis*, vel *Miserere* (pag. 71. et 72). R. R. Abbas cum Mitra se sistit ante Crucem in medio Coemeterii et tunc Chorus cantat Responsorium:

Libera me, Domine, de morte aeterna, in die illa tremenda. * Quando coeli movendi sunt et terra. * Dum veneris judicare saeculum per ignem. ℣. Tremens factus sum ego et timeo, dum discussio venerit atque ventura ira. * Quando coeli movendi sunt et terra. ℣. Dies illa, dies irae, calamitatis et miseriae, dies magna et amara valde. * Dum veneris. ℣. Requiem aeternam dona eis, Domine: et lux perpetua luceat eis. *Tum repetitur Responsorium*: Libera me Domine, &c. *usque ad primam* ℣.

Interim dum Responsorium repetitur, offertur per Diaconum navicella, et per alium ex ministris thuribulum Abbati, qui imponit et benedicit incensum more consueto. Responsorio repetito, Chorus cantat:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Mox Abbas, mitra deposita, convenienti voce dicit:

Pater noster, *reliqua secreto.*

Deinde aspergit ter et incensat ter, in medio, ad dextram et ad sinistram Crucis. Quo facto dicit versus:

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. In memoria aeterna erunt justi.
℟. Ab auditione mala non timebunt.
℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum.
℣. Requiem aeternam dona eis, Domine.
℟. Et lux perpetua luceat eis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Do-

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Sacerdotali fecisti dignitate vigere: praesta quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus veniae largitor et humani salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut nostrae Congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Deus, cujus miseratione animae fidelium requiescunt, famulis et famulabus tuis omnibus hic et ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum: ut a cunctis reatibus absoluti tecum sine fine laetentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

Tum duo Cantores dicunt:

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

Et mox Abbas, elevata dextera, producit signum crucis ab omni parte super coemeterium. Tum accepta mitra per Abbatem, revertuntur omnes ad Sacristiam ordine, quo venerunt.

In Commemoratione Omnium Deffunctorum Ordinis Nostri, omnia fiunt ut supra: sed R. R. Abbas se sistit in illa parte coemeterii, ubi Fratres sepeliuntur: et haec unica Oratio dicitur:

OREMUS.

Deus veniae largitor et humane salutis amator, quaesumus clementiam tuam: ut nostrae Congregationis

Fratres, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

Tum duo Cantores dicunt:

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

Et mox Abbas, elevata dextera, producit signum crucis super Fratrum Sepulchra. Tum accepta mitra per Abbatem, revertuntur omnes ad Sacristiam ordine, quo venerunt.

(Postulatum circa Altare Privilegiatum.)

Beatissime Pater!

D. Bonifacius Wimmer, Abbas S. Vincentii et Congregationis Americano-Cassinensis Praeses Generalis, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus humillime exponit. Quod in America in nostris regionibus, praesertim rure, propter locorum distantiam, fidelium defunctorum corpora saepe tam tarde ad sepulturam deferuntur, ut Missa amplius celebrari non possit; exequiae autem die 3tio, 7mo et 30mo omnino sint incognitae, quia agricolae propter distantiam, alii autem. qui in manufacturis laborant, diebus ferialibus convenire vix possunt; et omnino parum fit pro defunctis.—Cum admonitiones usque nunc parum profecerint, aliud excitamentum necessarium esse videtur, ut fideles majori cum pietate animabus defunctis succurrant ideoque orator humillimus supplicari audet Sanctitati Vestrae, ut tam Ecclesiae Abbatiali, quam Ecclesiis apud Prioratus nostros *privilegium unius Altaris privilegiati* concedere dignetur—pro qua gratia D. Bonifacius Wimmer,

Ex audientia Ssmi die 30. Julii 1865. Abbas O. S. B.

Ssmus D. N. Pius Divina Providentia PP. IX. referente me infrascripto S. C. de Prop. Fide Secretario, benigne annuit, ut in singulis memoratis Ecclesiis *unum* ex altaribus, ab Episcopo semel designandum, indulto gaudeat *Altaris privilegiati quotidiani* ad *decennium proximum*, adjecta facultate, ut in praedictis Ecclesiis, ubi nulla

la extant altaria fixa, designare queat Episcopus loci unum ex altaribus mobilibus. lapide tantum consecrato in mensa superiore instructis, sub lege tamen, ut nec designatio semel facta variari, nec Altare designatum de uno ad alium locum transferri amplius possit. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum Romae ex Æd. dict. S. C. die et anno praedictis. Gratis sine ulla solutione quocunque titulo. H. Capalti, Secretarius.

Ex audientia Ssmi diei 3. Sept. 1865.

Ssmus D. N. Pius Divina Providentia PP. IX. referente me infrascripto S. C. de Prop. Fide Secretario, benigne indulsit, ut in Ecclesiis Congregationis Americano-Cassinensis celebrari possint *cum* Cantu *bis* in hebdomada *Missae de Requie*, etiam in festis duplicibus, exceptis duplicibus primae vel secundae classis, festis de praecepto servandis, nec non feriis, vigiliis et octavis privilegiatis. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum Romae ex Æd. dict. S. C. die et anno praedictis. Gratis sine ulla solutione quocunqne titulo. H. Capalti.

Resurrectio

(sic dicta, quae fieri solet Sabbato Sancto).

Quamvis haec functio sit minus consonans praxi Ecclesiae Romanae; attamen cum non prohibeatur ulla lege positiva, videtur tolleranda, ubi adsit consuetudo, dummodo fiat juxta Rubricas in similibus observandas. Nullo autem modo licet exponere Ss. Sacramentum a Feria VI. usque ad hanc functionem Sabbato Sancto. Talis enim agendi modus apertissime opponitur Rubricis Missalis Romani, de quibus ait Summus et Sanctus Pontifex Pius V. ......„ statuimus et ordinamus. *Mandantes ac districte* omnibus et singulis...... *in virtute sanctae obedientiae praecipientes*, ut......Missam juxta *ritum, modum ac normam*, quae per Missale hoc a nobis nunc traditur, decantent ac legant neque in Missae celebratione alias caeremonias, vel preces, quam quae hoc Missali continentur, addere, vel recitare praesumant."

Ordo.

Mane in Missa solemni consecretur hostia major et reservetur in Tabernaculo ad horam debitam. Statuto tempore conveniant omnes

nes in Sacristiam, Celebrans assumit Amictum, Albam, Cingulum, Stolam albam et Pluviale.—Diaconus et Subdiaconus induant se ut ad Missam exceptis manipulis. Reverendi Patres habeant Cucullas, vel Superpellicea et candelas accensas in manibus. Crucifer paretur Tunicella. Ordine solito procedunt ad Altare Majus. Ss. Sacramentum extrahitur e Tabernaculo et statuitur super Corporale in medio Altaris. Ponitur incensum in duobus thuribulis et incensatur Ss. Sacramentum a Celebrante genuflexo. Deinde Diaconus oblongum ac decens velum circumponit scapulis Celebrantis, qui parte veli ante pectus pendente, utraque manu cooperta, Ostensorium a Diacono sibi porrectum reverenter suscipit in supremo Altaris gradu: mox ad Altare ascendit et Ss. Sacramentum ante faciem tenens, vertit se ad populum et intonat: **Christus resurrexit**, et fit processio more solito per gyrum Ecclesiae praecedentibus Acolythis et Crucifero. Peracta Processione et Ss. Sacramento ad Altare reportato et infra throno reposito per Diaconum, (vel per alium Sacerdotem superpellicio et stola indutum) Celebrans de more incenset: et stantibus omnibus intonat **Te Deum**, quo finito dicuntur ℣. ℣. et Orationes. Deinde **Tantum ergo** et omnia de more fiunt; postremo datur Benedictio.

Absolutio generalis

impertienda statis diebus Confratribus Ss. Trinitatis.

Ant. Intret oratio mea, etc. *ut infra.*

Psalm. 129. De profundis clamavi, etc. ut pag. 72.

Intret oratio mea in conspectu tuo Domine, inclina aurem tuam ad preces nostras, parce Domine, parce populo tuo, quem redemisti sanguine tuo pretioso, ne in aeternum irascaris nobis.

℣. Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. ℣. Kyrie eleison.

℣. Pater noster, etc. et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus, sperantes in te. ℣. Mit-

℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Esto eis Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.
℟. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

ADesto Domine, supplicationibus nostris et me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, exaudi clementer, ut quem non electione meriti, sed dono gratiae tuae constituisti tui operis ministerium. Da fiduciam tui operis exequendi et in meo ministerio, quod tuae pietatis est operaris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Exaudi Domine preces nostras et confitentium tibi parce peccatis: ut quos conscientiae reatus accusat, indulgentia tuae pietatis absolvat.

Praeveniat hos famulos tuos, quaesumus Domine, misericordia tua: ut omnes iniquitates eorum celeri indulgentia deleantur.

Praesta, quaesumus Domine, his famulis tuis dignum poenitentiae fructum: ut Ecclesiae tuae sanctae, a cujus integritate deviarunt peccando, amissorum reddantur innoxii veniam consequendo.

Adesto Domine supplicationibus nostris nec sit ab his famu-

famulis tuis clementiae tuae longinqua miseratio: sana eorumque remitte peccata, ut nullis iniquitatibus a te separati tibi Domine semper valeant adhaerere.

Domine Deus noster, qui offensione nostra irasceris, sed satisfactione placaris: respice quaesumus super hos famulos, qui se tibi graviter peccasse confitentur, tuum est absolutionem criminum dare et veniam praestare peccantibus, qui dixisti: poenitentiam te malle peccatorum, quam mortem. Concede ergo Domine his, ut tibi poenitentiae excubias celebrent et correctis actibus suis, conferri sibi a te sempiterna gaudia gratulentur.

Deus humani generis benignissime conditor et misericordissime reformator, qui hominem invidia diaboli ab aeternitate dejectum, unici filii tui sanguine redemisti: vivifica hos famulos tuos, quos tibi nullatenus mori desideras et qui non derelinquis devios assume correptos.

Moveant pietatem tuam, quaesumus Domine, haec famulorum tuorum lacrymosa suspiria: tu eorum medere vulneribus, tu jacentibus manum porrige salutarem, ne Ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur, ne grex tuus detrimentum sustineat, ne de familiae tuae damno inimicus exultet, ne renatos lavacro salutari mors secunda possideat.

Tibi ergo Domine supplices preces cum fletu cordis effundimus, tu parce confitentibus, ut sic in hac mortalitate peccata sua, te adjuvante, defleant, quatenus in tremendi judicii die sententiam aeternae damnationis evadant et nesciant, quod territ in tenebris, quod stridet in

flam-

flammis atque ab erroribus ad iter reversi justitiae: nequaquam vulneribus saucientur, sed integrum sit eis atque perpetuum, quod gratia contulit et quod misericordia reformavit. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Am.

Deinde Celebrans facta genuflexione ascendit ad Altare, ibique stans ad cornu Epistolae versus populum tono altiori *sine* Oremus dicit

Dominum nostrum Jesum Christum humiliter deprecamur, ut gratiae suae lumine illabatur cordibus vestris vobisque benigne concedat omnes et singulas Indulgentias et peccatorum remissiones consequi, quas felicis recordationis Paulus Quintus et ejus successores Summi Pontifices Ordini nostro cum specifica facultate eas Confraternitatibus nostris communicandi concesserunt, juxta privilegiorum Apostolicorum tenorem ac Sanctae Sedis Apostolicae decretorum dispositionem.

Misereatur vestri omnipotens Deus, dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, conservet et confirmet in omni opere bono et perducat vos ad vitam aeternam: Qui in Trinitate perfecta vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Postea voce submissa:

Item communicamus vobis, fratres, orationes, jejunia, Missas, peregrinationes et labores pro redimendis etiam captivis ceteraque opera bona, quae per Dei gratiam in Ordine nostro fiunt. In nomine Patris et Fi † lii et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Abso-

Absolutio generalis
impertienda Confratribus Ss. Trinitatis in articulo mortis.

Dicto Confiteor ab infirmo, vel ab alio ejus nomine, Sacerdos stola violacea indutus dicat *Misereatur tui*, etc. *Indulgentiam*, etc.:

AUctoritate Domini nostri Jesu Christi et beatorum Apostolorum ejus Petri et Pauli et Summorum Pontificum mihi in hac parte commissa et tibi concessa, virtute Bullarum nostri et aliorum Ordinum, concedo tibi, si hac vice decesseris remissionem et Indulgentiam plenariam omnium peccatorum tuorum, in quantum claves Ecclesiae se extendunt; et absolvo te ab omnibus poenis in purgatorio debitis propter peccata, quae in hoc mundo commisisti, restituendo te illi innocentiae, in qua eras, quando baptizatus fuisti. Quod si hac vice non decesseris, reservo tibi auctoritate praedicta istam Indulgentiam pro vero mortis articulo. In nomine Patris et Fi † lii et Spiritus Sancti. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Adesto Domine supplicationibus nostris et istam creaturam ad tuam sanctissimam Imaginem factam tua providentia ineffabili conservatam et in tuo sancto Nomine ad nostram Confraternitatem et spiritualem bonorum participationem receptam bene † dicere dignare et praesta, ut unigeniti Filii tui pretioso Sanguine redempta et ipsius meritis ac sanctificationibus adjuta, vitam percipere mereatur aeternam. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, etc. ℟. Amen.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulo tuo (*vel*

(*vel* famulae tuae) N. in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere et in potentia majestatis adorare unitatem, quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniatur adversis.

Deus, qui per sanctos Patres nostros Joannem et Felicem Ordinem Sanctissimae Trinitatis ad redimendum de potestate Saracenorum Captivos coelitus instituere dignatus es: praesta quaesumus, ut eorum suffragantibus meritis a captivitate corporis et animae hic famulus tuus (*vel* haec famula tua) te adjuvante liberetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Formula absolutionis generalis

Pro Confratribus Societatis Septem Dolorum B. M. V. in articulo mortis constitutis.

Sacerdos habens facultatem prius exhortetur infirmum ad patientiam et imitationem Mariae Virginis Septem Dolorum et ad contritionem eliciendam, deinde eum excitet ad impetrandam assistentiam ejusdem Virginis Mariae in hora mortis.

Quo facto aqua benedicta aspergit infirmum et circumstantes dicens: *Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea* et recitato Confiteor ab eodem infirmo, vel ab alio ejus nomine, Sacerdos dicat: *Misereatur tui omnipotens Deus*, etc. *Indulgentiam*, etc.

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam te absolvat † recipiatque confessionem tuam et remittat tibi omnia peccata quaecunque et quomodocunque in toto vitae decursu commisisti, de quibus corde contritus et ore confessus es, restituens tibi stolam primam, quam in Baptismate

mate recepisti et per Indulgentiam a Summo Pontifice Paulo V. Confratribus Societatis Septem Dolorum beatae Mariae Virginis in articulo mortis constitutis concessam, liberet te a praesentis ac futurae vitae poenis, dignetur purgatorii cruciatus remittere, portas inferni claudere, Paradisi januam aperire teque ad gaudia sempiterna perducere. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Inde Infirmum et Circumstantes benedicat:

Benedictio Dei omnipotentis: Patris et Fi † lii et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper. Am.

Quod si nunc non decesseris, reservo tibi hanc gratiam pro alia vice.

Novena Ss. P. N. Benedicti.

(Incipit die 12. Martii.)

Exposito Ss. Sacramento et cantato *O salutaris Hostia* cantatur a duobus Cantoribus:

Sancte Pater Benedicte, * Intercede pro nobis. Sancte. ℣. Ut digni efficiamur promissionibus Christi. Intercede. Gloria Patri. Sancte Pater.

Deinde Sacerdos dicat:

Oratio ad Ss. P. N. Benedictum.

(Ex „Ascesis Benedictina—Benedictinus aegrotans et moriens," auctore Domno Ruperto Presinger, O. S. B.)

O alme Pater Benedicte, dux et legifer meus! gratias tibi humillime refero, quod me in numero filiorum tuorum assumere atque innumeris beneficiis spiritualibus et corporalibus tam paterne hucusque fovere dignatus sis. Fateor equidem, me non esse dignum nomine filii tui, quia

quia admonitiones tam pii patris tam segniter complevi, nec opera patris facere studui, neque opere exercui, quae docuisti. Confisus nihilominus de tua paterna benignitate, in spiritu humilitatis et in animo contrito, deprecor omnes offensiones et transgressiones et negligentias meas; humillime supplicans, praecipue per mortem tuam gloriosissimam, quando erectis ad coelum manibus, stans et orans, angelicum spiritum tuum in manus Creatoris tui felicissime commendasti, ut in suprema mortis lucta contra omnes inimicorum insidias indignissimum filium tuum strenue defendere et a benedicto nostro Jesu atque a tua et omnium Benedictorum societate nullo modo separari permittas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Gebet zu unserem hl. Vater Benedictus.

O liebender Vater Benedictus! mein Führer und Gesetzgeber! demüthigst danke ich dir, daß du dich gewürdiget hast, mich in die Zahl deiner Kinder aufzunehmen und bisher mit zahllosen geistigen und körperlichen Wohlthaten väterlich zu begünstigen. Ich muß freilich gestehen, daß ich nicht würdig bin dein Sohn zu heißen, weil ich den Ermahnungen eines so liebenden Vaters so nachläßig Folge geleistet und mich nicht bemüht habe, deine Werke nachzuahmen und deine Lehren in der That auszuüben. Doch im Vertrauen auf deine väterliche Huld, im Geiste der Demuth und mit zerknirschtem Herzen bitte ich um Verzeihung für alle Fehler, Vergehen und Nachläßigkeiten, indem ich dich zugleich demüthigst anflehe besonders bei deinem glorreichen Tode, da du stehend, mit gegen den Himmel erhobenen Händen, unter Gebet, deinen seraphischen Geist in die Hände deines Schöpfers zurückgabst, daß du deinen unwürdigen Sohn in dem letzten Todeskampfe kräftig beschützest gegen die Nachstellungen des Feindes und daß du nicht zulas-

zulassen wollest, daß ich auf irgend eine Weise von unserm gebenedeiten Herrn Jesu und von deiner und aller Seligen Gesellschaft getrennt werde. Durch Christum unsern Herrn. Amen.

Prayer to our holy Father Saint Benedict.

O loving Father, Saint Benedict! my guide and lawgiver! I most humbly thank thee for having deigned to admit me into the number of thy children, and for having hitherto paternally cherished me with numberless blessings, both spiritual and corporal. I acknowledge, indeed, that I am not worthy to be called thy child, because I have so slothfully complied with the admonitions of so loving a father, and have not endeavoured to imitate thy works, nor practise what thou hast taught. Yet, relying on thy fatherly kindness, in the spirit of humility and with a contrite heart, I beg pardon for all my offenses, and transgressions, and negligences; most humbly beseeching thee, particularly by thy glorious death, when, with thy hands raised to heaven, standing and praying, thou didst most happily yield thy angelic spirit into the hands of thy Creator, that in the last struggle of death, thou wilt strenuously defend thy unworthy child against all the snares of the enemy, and wilt not suffer me to be in any way separated from our Blessed Lord, and from the society of thyself, and all the Blessed. Through the same Christ our Lord. Amen.

Tum cantatur a Choro:

Hymnus.

Laudibus cives resonent canoris,
Templa sollemnes modulentur hymnos: Hac

Hac die summi Benedictus arcem
Scandit Olympi.
Ille florentes peragebat annos,
Cum puer dulcis patriae penates
Liquit et solus latuit silenti
Conditus antro.
Inter urticas rigidasque sentes
Vicit altricem scelerum juventam:
Inde conscripsit documenta vitae
Pulchra beatae.
Aeream turpis Clarii figuram,
Et nemus stravit Veneri dicatum,
Atque Baptistae posuit sacrato
Monte sacellum.
Jamque felici residens Olympo,
Inter ardentes Seraphim catervas
Spectat et dulci reficit clientum
Corda liquore.
Gloria Patri genitaeque Proli,
Et tibi compar utriusque semper
Spiritus alme, Deus unus, omni
Tempore saecli. Amen.

℣. Intercede pro nobis, Sancte Pater Benedicte.
℟. Et impetra nobis gratiam bene moriendi

OREMUS.

O alme Pater Benedicte! rogo te per illam dignitatem, qua in gloriosa morte tua te honorare et beatificare dignatus est Dominus, ut in hora mortis meae mihi velis adesse

adesse et quae beatae Virgini Gertrudi promisisti, efficaciter adimpleas. (*hic adduntur Collectae de B. V. Maria, S. Joseph et aliae ut pag.* 1. et 2.) secus concluditur: Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Cetera fiunt more solito ut in Benedictione Ss. Sacramenti pag. 5.

Novena
Immaculatae Conceptionis B. M. V.

(Incipit die 29. Novembr.)

Exposito Ss. Sacramento et cantato *O Salutaris Hostia*, Sacerdos dicat tono feriali:

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrae.

OREMUS.

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oratio praeparatoria.

(Singulis Novenae diebus dicenda.)

Reinste Jungfrau! die du ohne Makel der Sünde empfangen, und von diesem ersten Augenblicke an, voll der Schönheit, ganz makellos bist! Glorwürdige Maria, gnadenvolle Mutter meines Gottes, Königin der Engel und Menschen, ich verehre dich demüthig als die Mutter meines Erlösers, der durch seine eigene Hochachtung, Ehrfurcht und Gehorsam, welche er, obschon wahrer Gott, dir erzeigte, mich gelehrt hat, welche Ehre und Huldigung ich dir beweisen soll. Ich bitte dich, würdige dich, diese neuntägige Andacht anzunehmen, welche ich dir weihe. Du, Mutter! bist die si-

chere

Freistätte der büßenden Sünder; daher ich billig meine Zuflucht zu dir nehme. Du bist die Mutter der Barmherzigkeit: so wirst du dich gewiß durch mein Elend, das so manigfaltig ist, erweichen lassen. Maria, du bist nach Jesus meine einzige Hoffnung: du kannst nicht anders, als mein zartes Vertrauen, das ich zu dir habe, anzunehmen; mache, daß ich dein Kind bin in Wirklichkeit und nicht blos dem Namen nach, daß ich mit kindlicher Zuversicht zu dir rufen kann:

Monstra te esse matrem: **Erzeige dich als eine Mutter.**

Virgin most pure, conceived without sin, from thy conception fair and stainless; glorious Mary, full of grace, Mother of my God, Queen of angels and of men,—I humbly venerate thee as Mother of my Saviour, who, though He was God, taught me by His own veneration, reverence and obedience to thee, the honour and homage that I owe thee. Vouchsafe, I pray thee, to accept the Novena which I dedicate to thee. Thou, Mother, art the safe refuge of the poenitent sinner; fit, then, it is I should have recourse to thee. Thou art the Mother of compassion; will not, then, my miseries, so manifold, move the bowels of thy mercy? Mary, my best hope after Jesus, thou canst not but accept the loving trust I have in thee; make me thy son in very deed, and not in name alone, that with a son's confidence I may cry to thee,

Monstra te esse matrem. Show thyself a Mother.

Dicantur novies *Ave Maria* et semel *Gloria Patri.*

Oratio pro prima die. 29. Novemb.

Sieh! zu deinen Füßen knie ich, o unbefleckte Jungfrau! während mein Herz, vereint mit dem deinen, überströmt vor Freude,

 daß

daß du von Ewigkeit her zur Mutter des ewigen Wortes auserwählt und rein erhalten wurdest von dem Verderbniße der Sünde Adams. Gelobt und verherrlicht sei stets die allerheiligste Dreifaltigkeit, welche deine Seele bei deiner Empfängniß mit den Vorzügen dieses unvergleichbaren Vorrechtes bereichert hat. Ich bitte dich demüthigst, huldreiche Mutter, mir die Gnade zu erlangen, daß ich siege über die bittern Früchte der Erbsünde; ach ja! hilf sie mir überwinden, daß ich nie aufhören möge meinen Gott zu lieben.

Lo, at thy sacred feet I bow, Virgin immaculate, the while my heart overflows with joys in unison with thine own, because, before time was, thou wast the Mother elect of the Eternal Word, and preserved stainless from the taint of Adam's sin. For ever praised, for ever blessed be the Most Holy Trinity, who in thy conception poured out upon thy soul the riches of that matchless privilege. I humbly pray thee, gracious Mother, obtain for me grace to be triumphant over my birth-sin's bitter fruits; ah yes! make me victorious over them, that I may never cease to love my God.

Deinde Chorus cantat:

℣. Tota pulchra es, Maria. ℟. Tota pulchra es, Maria. ℣. Et macula originalis non est in te. ℟. Et macula originalis non est in te. ℣. Tu gloria Jerusalem. ℟. Tu laetitia Israel. ℣. Tu honorificentia populi nostri. ℟. Tu advocata peccatorum. ℣. O Maria. ℟. O Maria. ℣. Virgo prudentissima. ℟. Mater clementissima. ℣. Ora pro nobis. ℟. Intercede pro nobis ad Dominum Jesum Christum.

Assistentes canunt:

℣. In Conceptione tua, Virgo, immaculata fuisti.

℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti. Sur-

Surgit Sacerdos et canit:

OREMUS.

Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti: quaesumus, ut qui ex morte ejusdem Filii sui praevisa eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas.

Deus omnium fidelium pastor et rector, famulum tuum N., quem pastorem Ecclesiae tuae praeesse voluisti, propitius respice: da ei, quaesumus, verbo et exemplo, quibus praeest, proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam.

Deus refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis et praesta: ut, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. (*hic additur Collecta imperata, si qua est dicenda,*) secus dicatur: Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Cetera fiunt more solito ut in Benedictione Ss. Sacramenti pag. 5.

Hic ordo est observandus aliis subsequentibus diebus Novenae, Oratio pro Die solum variatur, ut infra habetur.

Oratio pro secunda die. 30. Novemb.

O Maria, du unbefleckte Lilie der himmlischen Reinigkeit! ich freue mich mit dir, daß du von dem Augenblicke deiner Empfängniß an mit Gnaden erfüllt wurdest und auch schon den vollkommnen Gebrauch des Verstandes erlangt hast. Ich danke und bete an die allerheiligste Dreifaltigkeit, welche dir diese großen Gaben geschenkt hat. Siehe, zu deinen Füßen knie ich, mein Angesicht bedeckt mit Scham, weil ich mich so arm an Gnaden sehe. Du aber, die du mit der Fülle der himmlischen Gnaden überschüttet wurdest, laß auch meiner Seele etwas von derselben Quelle der

Gnade zukommen und mich theilnehmen an den Schätzen deiner unbefleckten Empfängniß.

Mary, unsullied Lily of heavenly purity, I rejoice with thee, because from thy Conception's earliest dawn thou wast filled full of grace, and wast gifted with our reason's perfect use. I thank and I adore the Ever-blessed Trinity, who gave thee those high gifts. Lo, at thy feet I bow, my face overwhelmed with shame to see myself so poor in grace. O thou who wast filled full of heavenly grace, from that same fount of grace shed some few drops upon my soul, making me share the treasures of thy Immaculate Conception.

Tota pulchra, etc. ut supra, et sic etiam in sequentibus diebus.

Oratio pro tertia die. 1. Decemb.

O Maria! du geheimnißvolle Rose der Reinigkeit, mein Herz freut sich mit dir, daß du in deiner unbefleckten Empfängniß glorreich über die höllische Schlange triumphirt hast und ohne Makel der Erbsünde empfangen wurdest. Ich danke und lobpreise mit ganzem Herzen die allerheiligste Dreifaltigkeit, welche dir diesen glorreichen Vorzug verliehen hat; und ich bitte dich, huldreiche Frau, mir solche geistige Kraft zu erbitten, daß ich alle List des bösen Feindes überwinde, und meine Seele durch keine Todsünde verunreinige. Ach! Mutter hilf mir, und laß mich durch deinen Beistand über die gemeinsamen Feinde unseres ewigen Heils jederzeit den Sieg erringen.

Mary, thou Mistic Rose of purity, my heart rejoices with thine own for the glorious triumph thou didst gain over the infernal serpent by thy Immaculate Conception, and because thy soul knew not the stains of Adam's

Adam's sin. I thank and laud with my whole heart the Ever-blessed Trinity, who granted thee that glorious privilege; and I pray thee, glorious Lady, obtain for me such spiritual courage, that I too may overcome the wiles of the great enemy, nor ever stain my soul with mortal sin. Mother, be thou mine aid; standing beneath thy shelter, make me victorious over the common foe of our eternal welfare.

Oratio pro quarta die. 2. Decemb.

O Maria, unbefleckte Jungfrau, du Spiegel der heiligen Reinigkeit! groß ist meine Freude, wenn ich deine Seele betrachte und sehe, daß ihr schon von deiner unbefleckten Empfängniß an die erhabensten und vollkommensten Tugenden, sammt allen Gaben des heiligen Geistes verliehen wurden. Ich danke und lobsinge der allerheiligsten Dreifaltigkeit, welche dich mit diesen Vorzügen begünstiget hat. Ich bitte dich, gütige Mutter, laß mich unter deiner Anleitung jede christliche Tugend üben, damit ich so gewürdiget werde, der Gaben und Gnaden des heiligen Geistes theilhaftig zu werden.

Miror of holy purity, Mary, Virgin Immaculate, great is my joy to gaze upon thy soul, and see how there were infused into it from thy Immaculate Conception all high and most perfect virtues, with all the gifts of God's Most Holy Spirit. I thank and laud the Ever-blessed Trinity, who bestowed on thee these high honours. I pray thee, gentle Mother, let me beneath thy fostering hand show forth each Christian virtue, and so be worthy to be partaker of the gifts and graces of the Holy Ghost.

Oratio pro quinta die. 3. Decemb.

O Maria, du mildglänzender Mond der Reinigkeit! ich freue

mich mit dir, daß das Geheimniß deiner unbefleckten Empfängniß der Menschheit zuerst Licht und Heil brachte und die Freude der in geistige Dunkelheit versunkenen Welt geworden ist. Ich danke und lobsinge der allerheiligsten Dreifaltigkeit, welche deine Person also erhöht und verherrlicht hat. Meine Frau, von dir erbitte ich mir die Gnade, daß ich aus dem Leiden und Tode deines theuren Sohnes eeinen solchen Nutzen ziehe, daß sein kostbares Blut nicht umsonst für mich am Kreuze vergossen sei, sondern, daß ich nach einem heiligen Leben den Himmel sicher erlangen möge.

Mary, bright Moon of purity, I rejoice with thee because the mystery of thy Immaculate Conception first brought light and salvation to the race of man, and was the joy of a benighted world. I thank and bless the Ever-blessed Trinity, who thus did magnify and glorify the person of thy humanity. Lady, of thee I beg the grace so to profit by thy dear Sons's Death and Passion, that not in vain that Precious Blood be shed for me upon the cross, but that after a holy life I may reach heaven in safety.

Oratio pro sexta die. 4. Decemb.

O Maria, du hellschimmernder Stern der unbefleckten Reinigkeit! ich freue mich mit dir, daß deine unbefleckte Empfängniß unter den Engeln im Himmel einen so unbeschreiblichen Jubel verursacht hat. Ich danke und lobsinge der allerheiligsten Dreifaltigkeit, welche dich mit diesem hohen Vorzug ausgestattet hat. O! laß mich auch eines Tages eingehen in diese himmlische Freude, damit ich dich in Gemeinschaft mit den Engeln ewig loben und preisen möge. Amen.

Mary Immaculate, most brilliant Star of purity, I rejoice with thee, because thy Immaculate Conception has bestowed upon the angels in Paradise the greatest joy.

I

I thank and bless the Ever-blessed Trinity, enriching thee with that high privilege. O let me too one day enter into this heavenly joy, in the company of angels praising blessing thee world without end. Amen.

Oratio pro septima die. 5. Decemb.

O Maria, du aufsteigende Morgenröthe der unbefleckten Reinigkeit! ich freue mich mit dir, wenn ich verwundert deine Seele betrachte, wie du im ersten Augenblicke deiner Empfängniß in der Gnade befestiget und aller Sünde unfähig gemacht worden bist. Ich danke und lobsinge der allerheiligsten Dreifaltigkeit, daß sie durch diesen Vorzug mit dir allein eine Ausnahme gemacht hat. O heiligste Jungfrau! erwirke in meiner Seele einen völligen Abscheu vor der Sünde, als dem einzigen Übel, daß ich lieber sterbe, als je wieder eine Todsünde begehe.

Mary Immaculate, Morn of purity, with thee I rejoice, gazing in wonder upon thy soul confirmed in grace at the first moment of thy Conception, and rendered inaccessible to sin. I thank and magnify the Ever-blessed Trinity, from all our race electing thee alone to this especial privilege. Holiest Virgin, let thy mighty prayers work in my soul such utter hatred of all sin, as of our ills the worst, that I may rather die than ever again commit a mortal sin.

Oratio pro octava die. 6. Decemb.

O Jungfrau Maria! du Sonne ohne Mackel, ich beglückwünsche dich und freue mich mit dir, daß dir Gott bei deiner Empfängniß eine größere und reichlichere Fülle von Gnaden gab, als allen seinen Engeln und Heiligen mit allen ihren Verdiensten zusammen erlangt haben. Ich preise und bewundere die unermeßliche Freigebigkeit der allerheiligsten Dreifaltigkeit, welche dir allein mit freigebiger Hand diesen Vorzug ertheilt hat.

Verleihe

Verleihe mir, daß ich der göttlichen Gnade entspreche und sie nie verschmähe. O Mutter! ändere mein Herz und mache, daß ich nun ernstlich anfange den Weg der Buße zu betreten.

O spottless Sun, O Virgin Mary, I congratulate thee, I rejoice with thee, because in thy Conception God gave thee grace greater and more boundless than He ever shed on all His angels and His saints together, when all their merits culminated highest. I thank and marvel at the vast beneficence of the Ever-blessed Trinity, who with open hand dispensed to thee alone this privilege. O make me to correspond with the grace of God, nor ever spurn it from me. O Mother, change this heart of mine, make me in good earnest now begin to tread my poenitential path.

Oratio pro nona die. 7. Decemb.

O lebendiges Licht der Heiligkeit, du Beispiel der Reinigkeit, jungfräuliche Mntter Maria! Kaum warst du empfangen, so hast du Gott angebetet und ihm gedankt, daß durch dich der alte Fluch gelöst und die Fülle des Segens auf die sündigen Kinder Adams kommen sollte. Ach mache, daß dieser Segen die Liebe zu Gott in meinem Herzen entzünde: entflamme du diese Liebe in mir, damit ich ihn beharrlicher liebe und im Himmel einst ewig genieße, wo ich ihm dann wegen der dir verliehenen wunderbaren Vorzüge mit größter Inbrunst danken und mich der Herrlichkeit, womit du gekrönt bist, ewig erfreuen werde. Amen.

O living Light of holiness, Sample of purity, Mary Immaculate, Virgin and Mother, as soon as thou wast conceived, thou didst adore thy God, giving Him thanks that in thee the ancient curse was disannulled, and blessings come again upon the sinful sons of Adam. O make this blessing kindle in my heart love towards God; and do thou fan this flame of love within me, that I may ever

love

love Him more constantly, and then in heaven eternally enjoy Him, there to thank and praise Him more and more fervently for all His wonderous privileges conferred on thee, and to rejoice with thee for thy high crown of glory.

Novena S. Joseph Sponsi B. M. V.

(Incipit die 10. Martii, vel per novem dies ante Festum Patrocinii ejusdem Sancti Dom. 3. post Pascha.)

Exposito Ss. Sacramento et cantato *O Salutaris Hostia* Sacerdos dicit sequentes orationes:

Septem Dolores et septem Gaudia.

1. O keuschester Bräutigam der hl. Jungfrau Maria, glorreicher, heiliger Joseph! großer Kummer und peinliche Angst hat dein Herz überfallen, als du gedachtest, deine unversehrte Braut heimlich zu entlassen; aber unaussprechlich war deine Freude, als dir vom Engel das Geheimniß der Menschwerdung geoffenbart wurde. — Um dieses Schmerzes und dieser Freude willen bitten wir dich: tröste unsere Seele jetzt und in der angstvollen Stunde unseres Todes und erlange uns von Gott die Gnade, gut zu leben und gleich wie du, in den Armen Jesu uud Mariä gottselig zu sterben.

Pater, Ave et Gloria Patri.

1. Pure Husband of most holy Mary, glorious Joseph, great was the travail and anguish of thy heart when, in sore perplexity, thou wast minded to put away thy stainless spouse, yet thy joy unspeakable when the archangel revealed to thee the high mistery of the Incarnation.— Then by this thy sorrow and thy joy, we pray thee comfort our souls now in their dying agony with the sweet consolation of a well-spent life, and a death like unto thine own, in the embrace of Jesus and of Mary.

Pater, Ave et Gloria Patri.

2. O glückseliger Patriarch, glorreicher hl. Joseph! der du zur hohen Würde des Pflegvaters des Mensch gewordenen Wortes erhoben worden bist; der große Schmerz, den du empfandest über die äußerste Armuth, worin das Jesuskind geboren wurde, verwandelte sich bald in heilige Freude, als du den Lobgesang der Engel hörtest und die Herrlichkeit jener glanzvollen aller Nächte schautest.—Um dieses Schmerzes und dieser Freude willen bitten wir dich: erlange uns von Gott die Gnade, daß wir, wenn wir diese irdische Pilgerfahrt beschließen, die hl. Lobgesänge der Engel hören und den Glanz der göttlichen Herrlichkeit die ganze Ewigkeit hindurch schauen mögen.

Pater, Ave et Gloria Patri.

2. Thrice happy Patriarch, glorious Joseph, chosen Father of the Word made Man, keen was the pain that thou didst feel when thou didst see the Infant Jesus born in abject poverty; yet was thy pain no more remembered for the celestial bliss which filled thy heart when upon thee burst the harmony of angel-choirs, and thou didst behold the glory of that refulgent night.—Then by this thy sorrow and thy joy, we pray thee obtain for us that, when the journey of our life is done, we too may pass to that blessed land, where we shall hear the angel-chants, and enjoy the brightness of celestial glory.

Pater, Ave et Gloria Patri.

3. O gehorsamster Beobachter des göttlichen Gesetzes, glorreicher hl. Joseph! dein Herz wurde vom Schmerze verwundet, als du sahest, wie das göttliche Kind bei der Beschneidung sein Blut vergoß; aber du wurdest auch wieder mit Trost und froher Entzückung erfüllt, als Ihm der Name Jesus gegeben wurde.—Um dieses Schmerzes und dieser Freude willen bitten wir dich: erflehe uns die Gnade, daß wir uns in unserem Leben von aller Sünde

reinigen und einst am Ende den hl. Namen Jesus mit Herz und Mund anrufen und freudig sterben.

Pater, Ave et Gloria Patri.

3. O thou who wast ever most obedient to execute the law of God, glorious Joseph, when at His circumcision the Infant Saviour's Precious Blood was shed, thy heart was pierced through and through; yet with the Name of Jesus came again to thee new life and heavenly joy.—Then by this thy sorrow and thy joy, obtain for us that, freed in life from the vile yoke of sin, we too may die with joy, with the sweet Name of Jesus in our hearts and on our lips.

Pater, Ave et Gloria Patri.

4. O getreuester Pflegvater, glorreicher hl. Joseph! dem die Geheimnisse unserer Erlösung sind geoffenbart worden; großen Schmerz verursachte dir die Weissagung Simeon's, als er dir verkündigte, wie Vieles Jesus und Maria würden leiden müssen; aber mit großer Freude erfüllte dich auch die Vorhersagung, daß durch diese Leiden zahllosen Seelen eine glorreiche Auferstehung und die ewige Seligkeit würde zu Theil werden. — Um dieses Schmerzes und dieser Freude willen bitten wir dich: erflehe uns bei Gott die Gnade, daß auch wir in der Zahl derjenigen befunden werden, welche durch die Verdienste Jesu und die Fürbitte Seiner Mutter Maria zur glorreichen Auferstehung gelangen.

Pater, Ave et Gloria Patri.

4. Faithful Saint, who wast admitted to take part in man's redemption, glorious Joseph, old Simeon's prophecy of the coming woes of Jesus and of Mary shot through thy soul with agony like death; yet did he fill thy spirit to the brim with blessedness when he foretold salvation

to innumerable souls in ages yet unborn.—Then by this thy sorrow and thy joy, O help us with thy prayers to be of those who, by the merits of Jesus and His Virgin Mother, shall be partakers of the glorious Resurrection.

Pater, Ave et Gloria Patri.

5. O du wachsamster Beschützer und innigster Vertrauter des Mensch gewordenen Sohnes Gottes, glorreicher hl. Joseph! wie Vieles hast du leiden müssen, um den Sohn des Allerhöchsten zu bedienen und zu verpflegen, besonders aber auf der Flucht nach Aegypten; aber wie groß war auch die Freude, daß du stets in der Gesellschaft des Sohnes Gottes warest und sahest, wie die Götzenbilder Aegyptens vor Ihm niederstürzten. — Um dieses Schmerzes und dieser Freude willen bitten wir dich: erlange uns von Gott die Gnade, daß wir den Versuchungen des höllischen Feindes ausweichen und den bösen Gelegenheiten entfliehen, auf daß wir die Götzenbilder unseres Herzens, das ist, die irdischen Neigungen niederstürzen, uns ganz dem Dienste Jesu und Mariä widmen und nur für sie leben und sterben.

Pater, Ave et Gloria Patri.

5. Watchful Guardian, bosom-friend of the Incarnate Son of God, glorious Joseph, how didst thou toil to nurture and to serve the Son of the Most High, then too especially in the flight thou madest with Him into Egypt! yet didst thou rejoice ever to have with thee God Himself, and to see the headlong downfall of Egypt's idol gods.—Then by this thy sorrow and thy joy, O obtain for us to keep aloof from the infernal tyrant, quitting all dangerous occasions, that so all earthly sensual idols may be cast down from our hearts' throne, and we all, wrapt in the sweet service of Jesus and of Mary, may ever live for them alone, and with them calmly die.

Pater, Ave et Gloria Patri.

6. O Engel auf Erden, glorreicher hl. Joseph! der du zu deinem Erstaunen gesehen hast, wie der König des Himmels allen deinen Befehlen gehorchte; wie wurde deine Freude getrübt durch die Furcht vor dem Könige Archelaus nach der Rückkehr aus Aegypten! Aber durch die Nachricht des Engels wurdest du beruhigt und wohntest mit Freude zu Nazareth bei Jesus und Maria.— Um dieses Schmerzes und dieser Freude willen bitten wir dich: erlange uns von Gott die Gnade, daß wir von aller schädlichen Angst nnd Furcht befreit, mit ruhigem Gewissen mit Jesus und Maria vereinigt leben und in der Stunde unseres Todes unsere Seele in ihre Hände übergeben.

Pater, Ave et Gloria Patri.

6. Angel on earth, all-glorious Joseph, who didst so marvel to see the King of Heaven obedient to thy bidding, when thou didst bring Him back from Egypt, fear of the tyrant chilled thy joy; yet did the angel cheer thee, and then afterwards thou didst dwell at Nazareth with glad heart, in the sweet company of Jesus and of Mary.—Then by this thy sorrow and thy joy, obtain for us that, with heart set free from every idle noxious fear, we too may taste the quiet of a tranquil conscience, safely dwelling with Jesus and with Mary, and one day to die within their loving arms.

Pater, Ave et Gloria Patri.

7. O du Muster der Heiligkeit, glorreicher hl. Joseph! du hast den Knaben Jesus, als du Ihn ohne deine Schuld verloren hattest, drei Tage lang mit den größten Schmerzen gesucht; aber du empfandest auch die größte Freude deines ganzen Lebens, als du Ihn unter den Gesetzgelehrten im Tempel wieder fandest. — Um dieses Schmerzes und dieser Freude willen bitten wir dich: erflehe

uns von Gott die Gnade, daß wir nie das Unglück haben, Jesum Christum durch eine Todsünde zu verlieren und, wenn uns dennoch dieses größte Unglück widerfahren sollte, wir Ihn dann mit Schmerzen der Reue wieder suchen, bis wir Ihn finden und daß Er uns besonders in unserer Todesstunde gnädig sein wolle, damit wir nach unserem Hinscheiden, im Himmel mit dir, o hl. Joseph, vereinigt, Gottes Erbarmungen ewig loben und preisen.

Pater Ave et Gloria Patri.

7. Pattern of all holiness, glorious Joseph, when blamelessly thou didst lose Jesus, the Holy Child, to thy great sorrow, thou for three long days didst search for Him, until with joy unspeakable thou didst find thy Life amid the doctors in the Temple.—Then by this thy sorrow and thy joy, we pray thee, heart and voice, stand betwixt us and danger, that so we lose not Jesus by any mortal sin; and if (which God avert) we ever be so wretched as to lose Him, then by thy aid, with such ceaseless sorrow, grant us to seek Him until we find Him, and see again His gracious countenance; and this especially when death draws nigh, that when we go hence we may enjoy Him for ever in the heavens, and with thee sing His heavenly mercies without end.

Pater, Ave et Gloria Patri.

Cantatur si placet Hymnus:

Te Joseph, celebrent agmina Coelitum,
Te cuncti resonent Christiadum chori,
Qui clarus meritis junctus es inclytae
Casto foedere Virgini.

Almo cum tumidam germine conjugem
Admirans, dubio tangeris anxius,
Afflatu superi Flaminis Angelus

Conceptum puerum docet.
Tu natum Dominum stringis, ad exteras
Aegypti profugum tu sequeris plagas;
Amissum Solymis quaeris et invenis,
Miscens gaudia fletibus.
Post mortem reliquos mors pia consecrat,
Palmamque emeritos gloria suscipit:
Tu vivens, Superis par, frueris Deo,
Mira sorte beatior.
Nobis, summa Trias, parce precantibus,
Da Joseph meritis sidera scandere:
Ut tandem liceat, nos tibi perpetim
Gratum promere canticum. Amen.

In tono feriali Sacerdos dicit:

Ant. Ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph.

℣. Ora pro nobis, sancte Joseph.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

DEus, qui ineffabili providentia beatum Joseph, sanctissimae Genitricis Tuae sponsum eligere dignatus es: praesta quaesumus, ut quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. (*hic additur Collecta imperata, si qua est dicenda, secus dicatur:*) Per Christum Dñm nostrum. ℟. Amen.

Cetera fiunt more solito ut in Benedictione Ss. Sacramenti pag. 5.

De Prima Communione Puerorum et Puellarum.

Ecclesia nullam praescribit peculiarem caeremoniam in hac functione observandam. Omnia relinquuntur arbitrio Sacerdotis, hoc tamen sensu, quod nihil fiat alias ab Ecclesia proscriptum et omnia sint conformia iis, quae in similibus observantur. Non videtur

laudanda praxis illa, ut pueri et praesertim puellae velis indutae, teneant in manibus candelas accensas tempore praesertim actualis receptionis Ss. Sacramenti; quia est res quae creat distractiones, et periculosa nimis pro velis puellarum.—Post Communionem Celebrantis, et ante illam Juventutis potest fieri brevissima exhortatio (Italice Fervorino) etiam a Celebrante (S. R. C. 16. Aprilis 1853.); sed non debet esse sermo in sensu ordinario: qui sermo fieri potest alio tempore v. g. post Evangelium.—In nonnullis locis post hanc Missam fit Renovatio, uti dicitur, Votorum Baptismalium. Congregantur pueri et puellae cum candelis accensis ante Fontem Baptismalem, qui floribus et candelis decoratur. Et facta explanatione hujus functionis juxta sensum Concilii Tridentini (Canon. XIV. de Baptismo Sess. VII.). Sacerdos alta voce sequentes interrogationes facit, quibus juvenes alta etiam voce (et omnes simul) respondent:

F. Widersaget ihr dem Satan? A. Ich widersage.	Q. Do you renounce Satan? A. I do renounce him.
F. Widersaget ihr allen seinen Werken? A. Ich widersage.	Q. And all his works? A. I do renounce them.
F. Widersaget ihr aller seiner Pracht? Ich widersage.	Q. And all his pomps? A. I do renounce them.

De Benedictione Domorum.


Quanquam domus fidelium quocunque anni tempore possint benedici, attamen usus universalis Ecclesiae est, ut speciali ditentur benedictione Sabbato Sancto per aquam de Fonte acceptam. Vide formulam pag. 94. Parochus seu alii Sacerdotes volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos fidelium benedicere alio tempore infra annum etiam in Vigilia Epiphaniae Domini debent uti aqua benedicta ordinario modo per formulam pag. 90; et in hisce casibus domus benedicuntur per formulam pag. 95.

Illa formula benedicendi aquam in Vigilia Epiphaniae Domini, quae invenitur in quibusdam Ritualibus reprobatur per Decretum emanatum sub die 11. Januarii 1725 a Sacra Indicis Congregatione „Ejusdem Sacrae Congregationis Decreto prohibentur omnes additiones factae, et forsan faciendae Rituali Romano post reformationem S. R. C. et maxime Conjurationes potentissimae, et efficaces ad expellendas et fugandas aereas tempestates a daemonibus per

se, sive ad nutum cujusvis diabolici ministri excitatas, ex diversis et probatis auctoribus collectae a Presbytero Petro Lucatello Titul. S. Cassiani Bergomi et Benedictio Aquae, quae fit in Vigilia Epiphaniae." Hinc patet caute omnino procedendum in usu benedictionum, quae sparsim inveniuntur in libris. Nisi approbatae sint a S. R. C. ipso facto referuntur in Indicem librorum prohibitorum. Vide etiam decreta S. R. C. 7. Apr. 1832, et 23. Maji 1835, pag. 119.

De Neo-Sacerdote prima vice Missam Celebrante.

Potest ante Missam dici vel cani:



Ve ni Cre a tor Spi ri tus.

cum orationibus ut in pag. 47. Et tunc si placet ascendat Neo-Sacerdos Altare et populum benedicat dicens: **Benedictio Dei Omnipotentis Patris et Fi ✠ lii et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper. ℟. Amen.** Alias Benedictionum formulas Ecclesia non agnoscit. Nullo autem modo licet dici vel cani *Veni Creator Spiritus* et dari Benedictio intra Missam v. g. post Evangelium.—In hac Missa Sacerdos assistens potest assumere pluviale, sed subtus non potest stolam gestare ac fidelibus cum patena ministrare quoties Communio distribuitur; nec potest incensare Celebrantem, quia haec spectant ad Diaconum. S. R. C. 11. Martii 1837.—Praxis Romae est, ut concedatur Neo-Sacerdoti assistentia Presbyteri absque stola per tres primas Missas, sed non ultra.

Preces ante et post Exercitia Spiritualia cantandae.

Ante Exercitia Spiritualia.

Finita ultima stropha Hymni **Veni Creator**, cantat Sacerdos:

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrae.

℣. Cor mundum crea in me Deus.
℟. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.
℣. Ne projicias me a facie tua.
℟. Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.
℣. Redde mihi laetitiam salutaris tui.
℟. Et spiritu principali confirma me.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, innocentiae restitutor et amator, dirige ad te tuorum corda servorum; ut Spiritus tui fervore concepto, et in fide inveniantur stabiles, et in opere efficaces.

Illo nos igne, quaesumus, Domine, Spiritus sanctus inflammet, quem Dominus noster Jesus Christus misit in terram, et voluit vehementer accendi.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humanae fragilitatis infirmitatem agnoscis, respice, quaesumus, super nos famulos tuos, et larga tuae benedictionis abundantia infirmitatem nostram robora, ut vota nostra, quae praeveniendo aspiras, per auxilium gratiae tuae innovari facias, et sancte vivendo fidelius observari tribuas. Per Dñum nostrum.

Post Exercitia Spiritualia.

Finito Hymno **Te Deum**, cantat Sacerdos:

℣. Benedicamus Patrem, et Filium, cum sancto Spiritu.
℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.
℣. Beata gens cujus est Dominus Deus ejus.
℟. Populus quem elegit in haereditatem sibi.
℣. Manda Deus virtuti tuae.

℟. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.
℣. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic haereditati tuae.
℟. Et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.
℣. Unam petii a Domino, hanc requiram.
℟. Ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae Majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas.


Da nobis, quaesumus, Domine, perseverantem in tua voluntate famulatum, ut in diebus nostris et merito et numero populus tibi serviens augeatur.

Proficiat, quaesumus, Domine, plebs tibi dicata piae devotionis affectu, ut sacris actionibus erudita, quanto Majestati tuae sit gratior, tanto donis potioribus augeatur.

Gratia tua nos, quaesumus, Domine, non derelinquat, quae et sacrae nos deditos faciat servituti, et tuam nobis opem semper acquirat.

Fideles tuos, Deus, benedictio desiderata confirmet, quae eos et a tua voluntate nunquam faciat discrepare, et tuis semper indulgeat beneficiis gratulari. Per Dñum.

Asperges ante Missam in Dominicis per annum.




Ant. A - sper - ges me,

Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor. *Psalm.* 50. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. ℣. Gloria Patri, &c.

Et repetitur Antiphona **Asperges.**

Haec Antiphona praedicto modo dicitur ad aspersionem aquae, benedictae, in Dominicis per totum annum, excepta Dominica de Passione, et Dominica Palmarum, in quibus non dicitur, **Gloria Patri**, sed post Psalmum, **Miserere**, repetitur immediate Antiphona, **Asperges me.** Excepto etiam tempore Paschali, scilicet a Dominica Paschae usque ad Pentecosten inclusive, quo tempore cantatur sequens Antiphona.



Ant. Vi - di a - quam

egredientem de templo, a latere, dextro, alleluja: et omnes, ad quos pervenit aqua ista salvi facti sunt, et dicent, Alleluja, alleluja. *Psalm.* 117. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia ejus.

℣. Gloria Patri, &c.

Repetitur Antiphona **Vidi aquam.** In Dominica vero Trinitatis resumitur **Asperges me Domine.**

In die sancto Paschae et Pentecostes, ubi est fons baptismalis, fit aspersio cum aqua pridie benedicta in fonte baptismi, et ante infusionem olei et chrismatis accepta.

Finita antiphona, supradicto modo, sacerdos qui aspersit aquam

reversus ad altare, stans ante gradus altaris, junctis manibus dicat:

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

Tempore paschali additur **Alleluja.**

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vosbiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

EXaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: et mittere digneris sanctum angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ante Missam Pontificalem omittitur Asperges.

EXCERPTA
EX
RITUALI ROMANO.

De iis, quae in Administratione Sacramentorum generaliter servanda sunt.

Sacerdos, quacumque diei aut noctis hora, ad sacramenta ministranda vocabitur, nullam officio suo praestando, si necessitas urgeat, moram interponat: ac propterea populum saepe, prout sese offeret occasio, praemonebit, ut cum sacro ministerio opus fuerit, se quamprimum, nulla temporis, loci, aut cujuscumque incommodi habita ratione, accersant.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Cum Baptismi sacramentum jam administrandum est, haec in promptu esse debent: vascula sacri olei catechumenorum et chrismatis; vasculum cum sale benedicendo, vel jam benedicto; vasculum, seu cochlear, ex argento vel alio metallo, nitidum, ad aquam Baptismi fundendam super caput baptizandi, quod nulli praeterea

alii usui deserviat; pelvis seu bacile, ad excipiendam aquam ex capite defluentem, nisi statim in sacrarium defluat; gossipium, alio nomine bombacium, seu quid simile, ad abstergenda loca sacris oleis inuncta; stolae duae, ubi commode haberi possunt, una violacea, et altera alba (ut infra notatur) mutanda, sin minus, una saltem adhibeatur; medulla panis, qua inuncti sacerdotis digiti, cum lavat manus, abstergantur, et vas pro manuum lotione post baptismum, quod huic tantum usui deservire decet; alba vestis in modum pallioli, seu linteolum candidum, infantis capiti imponendum; cereus, seu candela cerea, baptizato ardens tradenda.

Si fuerint plures baptizandi, sive masculi, sive feminae, masculi statuantur ad dexteram, feminae vero ad sinistram, et omnia pariter dicantur ut infra in proprio genere, et numero plurali. Verum prima nominis interrogatio, exsufflatio, crucis impressio, seu signatio, tactus aurium et narium cum saliva, abrenuntiationis interrogatio, unctio olei catechumenorum, interrogatio de fide seu symbolo, et ipse baptismus, inunctio chrismatis, candidae vestis impositio, atque accensae candelae traditio, singulariter singulis, et primum masculis, deinde feminis fieri debent.

ORDO BAPTISMI PARVULORUM.

Omnibus igitur opportune praeparatis, Sacerdos ad tanti sacramenti administrationem, lotis manibus, superpelliceo et stola violacea indutus accedat: et accepto nomine baptizandi, positi, si infans fuerit, super brachium dextrum illius qui eum defert, ad baptismum procedat, in hunc modum nominatim interrogans:

(Si plures fuerint baptizandi, dicat singulariter singulis.)

N. quid petis ab Ecclesia Dei?*)

---

*) *Germanice:*

F. N. Was begehrest du von der Kirche Gottes? A. Den Glauben.
F. Was gibt dir der Glaube? A. das ewige Leben.

Anglice:

Q. N. What dost thou ask of the Church of God? A. Faith.
Q. What doth faith bring thee to? A. Life everlastiug.

Gallice:

D. N. Que demandez-vous á l'Eglise de Dieu? R. La foi.
D. Que vous procure la foi? R. La vie éternelle.

Patrinus respondet: Fidem.

Sacerdos: Fides quid tibi praestat?

Patrinus respondet: Vitam aeternam.

(In plurali pro pluribus.)

Sacerdos: Si igitur vis ad vitam ingredi, serva mandata: Dilliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et proximum tuum sicut teipsum.

Deinde ter exsufflet leniter in faciem infantis, et dicat semel: (Singulariter singulis.)

Exi ab eo (*vel* ab ea) immunde spiritus, et da locum Spiritui Sancto Paraclito.

Postea pollice faciat signum crucis in fronte et in pectore infantis, dicens:

Accipe signum crucis tam in fronte †, quam in corde †: sume fidem coelestium praeceptorum; et talis esto moribus, ut templum Dei jam esse possis.

OREMUS.

(In plurali pro pluribus.)

Preces nostras, quaesumus, Domine, clementer exaudi; et hunc Electum tuum N. Crucis Dominicae impressione signatum perpetua virtute custodi: ut magnitudinis gloriae tuae rudimenta servans, per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.

Deinde imponat manum super caput infantis ac dicat: (In plurali pro pluribus.)

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum N., quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es; omnem

caecitatem cordis ab eo expelle: disrumpe omnes laqueos Satanae, quibus fuerat colligatus; aperi ei, Domine, januam pietatis tuae, ut signo sapientiae tuae imbutus, omnium cupiditatum foetoribus careat, et ad suavem odorem praeceptorum tuorum laetus tibi in Ecclesia tua deserviat, et proficiat de die in diem. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos benedicat salem, qui semel benedictus alias ad eumdem usum deservire potest. (Sine mutatione pro omnibus.)

BENEDICTIO SALIS.

Exorcizo te creatura salis, in nomine Dei † Patris omnipotentis et in charitate Domini nostri Jesu † Christi, et in virtute Spiritus † Sancti. Exorcizo te per Deum vivum †, per Deum verum †, per Deum sanctum †, per Deum † qui te ad tutelam humani generis procreavit, et populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari praecepit: ut in nomine sanctae Trinitatis efficiaris salutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te, Domine Deus noster, ut hanc creaturam salis sanctificando sanctifices †, et benedicendo benedicas †, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amem.

Deinde immittat modicum salis benedicti in os infantis, dicens: (Singulariter singulis.)

N. Accipe sal sapientiae; propitiatio sit tibi in vitam aeternam. ℟. Amen.

Sacerdos: Pax tibi. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

(In plurali pro pluribus.)

Deus patrum nostrorum, Deus universae conditor veritatis, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. respicere digneris propitius, et hoc primum pabulum salis gustantem, non diutius esurire permittas, quo minus cibo expleatur coelesti, quatenus sit semper spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens. Perduc eum, Domine, quaesumus, ad novae regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum aeterna praemia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Exorcizo te, immunde spiritus, in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti, ut exeas, et recedas ab hoc famulo Dei N. Ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulavit, et Petro mergenti dexteram porrexit.

Ergo, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo et vero, da honorem Jesu Christo Filio ejus, et Spiritui Sancto, et recede ab hoc famulo Dei N., quia istum sibi Deus, et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam, et benedictionem, fontemque Baptismatis vocare dignatus est.

Hic pollice in fronte signat infantem, dicens: (Signat singulos, si plures.)

Et hoc signum sanctae Crucis †, quod nos fronti ejus damus, tu, maledicte diabole, numquam audeas violare. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Mox imponit manum super caput infantis, et dicit: (In plurali pro pluribus.)

OREMUS.

Aeternam ac justissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, auctor luminis et veritatis, super hunc famulum tuum N., ut digneris illum illuminare lumine intelligentiae tuae: munda eum et sanctifica: da ei scientiam veram, ut dignus gratia Baptismi tui effectus, teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos imponit extremam partem stolae super infantem, et introducit eum in Ecclesiam, dicens: (In plurali pro pluribus.)

N. Ingredere in templum Dei, ut habeas partem cum Christo in vitam aeternam. ℟. Amen.

Cum fuerint Ecclesiam ingressi, Sacerdos procedens ad fontem cum Susceptoribus conjunctim clara voce dicit: *)

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum,

---

*) Ich glaube an Gott den Vater, den allmächtigen Schöpfer Himmels und der Erde; und an Jesum Christum seinen Eingeborenen Sohn, unseren Herrn, der empfangen ist vom hl. Geiste, geboren aus Maria der Jungfrau, gelitten unter Pontius Pilatus, gekreuzigt, gestorben nnd begraben; abgestiegen zu der Hölle, am dritten Tage wieder auferstanden von den Toden, aufgefahren gen Himmel, sitzet Er zur Rechten Gottes des allmächtigen Vaters, von dannen Er kommen wird, zu richten die Lebendigen und die Todten.—Ich glaube an den heiligen Geist; eine heilige katholische Kirche, Gemeinschaft der Heiligen, Nachlaß der Sünden, Auferstehung des Fleisches und ein ewiges Leben. Amen.

Vater unser, der Du bist in den Himmeln, geheiliget werde Dein Name; zukomme Dein Reich; Dein Wille geschehe wie im Himmel, so auch auf Erden. Gib uns heute unser tägliches Brod; und vergib uns unsere Schulden, wie auch wir vergeben unseren Schuldigern; und führe uns nicht in Versuchung, sondern erlöse uns von dem Uebel. Amen.

I believe in God, the Father Almighty, Creator of

Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus: descendit ad inferos: tertia die resurrexit a mortuis: ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in SpiritumSanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Am.

Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos a malo. Amen.

Ac deinde, antequam accedat ad baptisterium, dicat: (In plurali pro pluribus.)

EXORCISMUS.

Exorcizo te, omnis spiritus immunde, in nomine Dei Patris omnipotentis †, et in nomine Jesu Christi Filii ejus, Domini et Judicis nostri †, et in virtute Spiri-

---

heaven and earth, and in Jesus Christ, his only Son, our Lord; who was conceived by the Holy Ghost, born of the Virgin Mary, suffered under Pontius Pilate, was crucified, dead and buried; he descended into hell; the third day he rose again from the dead; he ascended into heaven, and sitteth at the right hand of God the Father Almighty; from thence he shall come to judge the living and the dead. I believe in the Holy Ghost, the holy Catholic Church, the communion of Saints, the forgiveness of sins, the resurrection of the body, and life everlasting. Amen.

Our Father, who art in heaven, hallowed be thy name; thy kingdom come; thy will be done on earth as it is in heaven. Give us this day our daily bread; and forgive us our trespasses, as we forgive them who trespass against us; and lead us not into temptation; but deliver us from evil. Amen.

tus Sancti †, ut discedas ab hoc plasmate Dei N., quod Dominus noster ad templum sanctum suum vocare dignatus est, ut fiat templum Dei vivi, et Spiritus sanctus habitet in eo. Per eumdem Christum Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Postea Sacerdos digito accipiat de saliva oris sui, et tangat aures et nares infantis: tangendo vero aurem dexteram et sinistram, dicit: (Singillatim pro singulis.)

Ephpheta, quod est, Adaperire: *deinde tangit nares, dicens:* In odorem suavitatis. Tu autem effugare, diabole; appropinquabit enim judicium Dei.

Postea interrogat baptizandum nominatim dicens: *)

N. Abrenuntias Satanae?

Respondet Patrinus: Abrenuntio.

Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio.

Et omnibus pompis ejus? Abrenuntio.

Deinde Sacerdos intingit pollicem in oleo Catechumenorum, et infantem ungit in pectore, et inter scapulas, in modum Crucis, dicens: (Ungat singulos, si plures.)

Ego te linio † oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro, ut habeas vitam aeternam. ℟ Amen.

---

*) *Germanice:*

F. Widersagst du dem Satan? A. Ich widersage.
F. Widersagst du allen seinen Werken? A. Ich widersage.
F. Widersagst du aller seiner Pracht? A. Ich widersage.

Anglice:

Q. Dost thou renounce Satan? A. I do renounce him.
Q. And all his works? A. I do renounce them.
Q. And all his pomps? A. I do renounce them.

Gallice:

D. N. Renoncez-vous á Satan? R. J'y renonce.
D. Et á toutes ses oeuvres? R. J'y renonce.
D. Et á toutes ses pompes? R. J'y renonce.

Subinde pollicem et inuncta loca abstergit bombacio, vel re simili (**Hic deponit stolam violaceam, et sumit aliam albi coloris**)et interrogat (Singulariter singulos), expresso nomine, baptizandum, Patrino respondente :*)

N. Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae? ℟. Credo.

Credis in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum, et passum? ℟. Credo.

Credis in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem pecca-

---

*) *Germanice.*

F. N. Glaubst du an Gott den Vater, allmächtigen Schöpfer des Himmels und der Erde? A. Ich glaube.

F. Glaubst du an Jesum Christum, seinen eingebornen Sohn, unseren Herrn, der geboren worden und gelitten hat? A. Ich glaube.

F. Glaubst du an den heiligen Geist, eine heilige katholische Kirche, Gemeinschaft der Heiligen, Nachlaß der Sünden, Auferstehung des Fleisches und ein ewiges Leben? A. Ich glaube.

F. N. Willst du getauft werden? A. Ich will.

Anglice.

Q. N. Dost thou believe in God the Father Almighty, Creator of heaven and earth? A. I do believe.

Q. Dost thou believe in Jesus Christ, his only Son, our Lord, who was born into this world, and who suffered for us? A. I do believe.

Q. Dost thou believe in the Holy Ghost, the holy Catholic Church, the communion of Saints, the forgiveness of sins, the resurrection of the body, and life everlasting? A. I do believe.

Q. N. Wilt thou be baptized? A. I will.

Gallice.

D. N. Croyez-vous en Dieu le Pére tout-puissant, Créateur du ciel et de la terre? R. J'y crois.

D. Croyez-vous en Jésus-Christ son Fils unique, notre Seigneur, qui est né, et qui a souffert? R. J'y crois.

D. Croyez-vous au Saint-Esprit, la sainte Eglise Catholique, la communion de Saints, la rémission de péchés, la resurrection de la chair, la vie éternelle? R. J'y crois.

D. N. Voulez-vous étre baptisé? R. Je le veux.

torum, carnis resurrectionem, vitam aeternam? ℟. Credo.

Subinde, expresso nomine baptizandi, Sacerdos dicit (Singulariter singulis):

N. Vis baptizari? *Respondet Patrinus:* Volo.

Tunc Patrino, vel Matrina, vel utroque (si ambo admittantur) infantem tenente, Sacerdos vasculo, seu urceolo accipit aquam baptismalem, et de ea ter fundit super caput infantis in modum Crucis, et simul verba proferens, semel tantum distincte, et attente, dicit:

N. Ego te baptizo in nomine Patris †, *fundat primo*, et Filii †, *fundat secundo*, et Spiritus † Sancti, *fundat tertio*.

Si vero dubitatur an infans fuerit baptizatus, utatur hac forma:

N. Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti.

Deinde intingit pollicem in sacro Chrismate, et ungit infantem in summitate capitis, in modum Crucis (Ungat singulos, si plures), dicens:

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum (*hic inungit*), ipse te liniat Chrismate salutis † in eodem Christo Jesu Domino nostro in vitam aeternam. ℟. Amen.

***Sacerdos:* Pax tibi. ℟. Et cum spiritu tuo.**

Tum bombacio, aut re simili abstergit pollicem suum, et locum inunctum, et imponit capiti ejus (Singulariter singulis) linteolum candidum loco vestis albae, dicens:

Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam aeternam. ℟. Amen.

Postea dat ei, vel Patrino (Singulariter singulis) candelam accensam, dicens:

Accipe lampadem ardentem, et irreprehensibilis custodi baptismum tuum: serva Dei mandata, ut cum Do-

minus venerit ad nuptias, possis occurrere ei una cum omnibus Sanctis in aula coelesti, habeasque vitam aeternam, et vivas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Postremo dicit: N. vade in pace, et Dominus sit tecum. ℟. Amen.

Si infans, vel adultus aegrotus adeo graviter laboret, ut periculum immineat, ne pereat antequam baptismus perficiatur, Sacerdos omissis, quae baptismum praecedunt, eum baptizet, ter, vel etiam semel, infundens aquam super caput ejus in modum Crucis, dicens: *Ego te baptizo in nomine Patris † etc.*, ut supra pag. 174.

Si non habeatur aqua baptismalis, et periculum impendat, Sacerdos utatur aqua simplici. *)

Deinde si habeat chrisma, liniat eum in vertice, dicens: *Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi etc.*, ut supra pag. 174.

Postea dat ei linteolum candidum, dicens: *Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas etc.*, ut supra 174.

Ac demum dat ei ceream candelam accensam, dicens: *Accipe lampadem ardentem, et irreprehensibilis custodi etc.*, ut supra pag. 174.

Si supervixerit, suppleantur alii ritus omissi.

———x———

Admonendi sunt Susceptores de spirituali cognatione, quam contraxerunt cum Baptizato, Baptizatique patre et matre; quae cognatio impedit Matrimonium, ac dirimit.

Curet Parochus parentes infantis admoneri, ne in lecto secum ipsi, vel nutrices parvulum habeant, propter oppressionis periculum; sed eum diligenter custodiant, et opportune ad Christianam disciplinam instituant.

Commonendi sunt etiam parentes, et alii, si opus fuerit, ne filios Hebraeis, aliisque infidelibus, vel haereticis mulieribus ullo modo lactandos, aut nutriendos tradant.

Antequam infans ex Ecclesia asportetur, aut Susceptores disce-

---

*) Quando non habetur aqua consecrata, Sacerdos aquam baptismalem conficere potest vel per formam *Extra Sabbatum Paschae et Pentecostes:* vel ex concessione Pii PP. VIII, utendo breviori formula. Pro his formis vide Indicem hujus Ritualis.

dant, eorum nomina, et alia de administrato Baptismo ad praescriptam formam in Baptismali libro Parochus accurate describat.

———o———

Caeremoniae observandae in administratione Sacramenti Baptismalis excerptae *e Memoriali Rituum approbato a Benedicto PP. XIII.*

Ad Parvulorum igitur Baptismum solemniter administrandum, Celebrans lotis manibus et indutus superpelliceo et stola violacea accedit ad limen Ecclesiae cum Clerico superpelliceo pariter induto et deferente sal. Ibi Celebrans procedit, ut in Rituali ad Catechismum &c. usque ad introductionem Infantis in Ecclesiam, pro qua Celebrans imponit super Infantem extremam partem stolae pendentem a suo humero sinistro et introducit eum in Ecclesiam, dicens: *N. Ingredere &c.* Deinde dicto: *Credo, et Pater noster*, versis renibus ostio cancellorum Baptisterii, dicat Exorcismum: tangat saliva aures, et nares Infantis: eumdemque Oleo Catechumenorum ungat in pectore, et inter scapulas. Stans ibidem extra cancellos Celebrans deponit stolam violaceam et sumit aliam albi coloris. Praecedente clerico ingreditur Baptisterium, in quod ingrediuntur Patrini cum Infantibus. Celebrans ante Fontem interrogat: *N. Credis &c. N. Vis baptizari?* Responso a Patrinis: *Volo*, Celebrans procedit ad Baptismum: vel per Immersionem, si in Baptisterio sit tantummodo unicus Fons continens Aquam benedictam: vel per Infusionem, si habeatur duplex Fons: alter cum Aqua benedicta, et alter vacuus, qui per foramen excurrere faciat in Sacrarium Aquam baptismalem, profluentem e capite Infantis baptizati super eumdem Fontem vacuum. Si baptizet per Immersionem: Celebrans, accipiens Infantem, ac ipse solus eum sustinens, caute caput ejus immergit, et trina mersione baptizat, et semel tantum dicit: *N. Ego te baptizo &c.* et Infantem, completa forma, statim tradit Susceptoribus. Si vero per Infusionem: tunc Patrino, vel Matrina, vel utroque Infantem tenente super altero Fonte vacuo sine aqua, Celebrans vasculo accipit Aquam Baptismalem ex altero Fonte, et de ea ter fundit supra caput Infantis in modum Crucis, et simul verba proferens, semel tantum, distincte et attente dicat: *N. Ego te baptizo &c.* Absterso capite Infantis, Celebrans, dicens: *Deus omnipotens &c.*, sacro Chrismate inungit summitatem capitis Baptizati. Deinde, data Veste Candida et candela ac-

censa ac dicto: *N. Vade in pace &c.*, Patrinos admonet et Parentes Infantis admoneri curat, ut in Rituali; deinde lavat manus. Vide etiam Monita pag. 56 et sequentibus.

ORDO SUPPLENDI OMISSA SUPER INFANTEM BAPTIZATUM.

Cum urgente mortis periculo, vel alia cogente necessitate, parvulus, sacris precibus ac caeremoniis praetermissis, fuerit baptizatus; ubi convaluerit, vel cessaverit periculum, et ad ecclesiam delatus fuerit, omissa omnia suppleantur; idemque ordo ac ritus servetur, qui in baptismo Parvulorum praescriptus est.

N. Quid petis ab Eccelsia Dei?

Patrinus Catechesis respondet: Fidem.

Sacerdos: Fides quid tibi praestat?

Patrinus respondet: Vitam aeternam.

Sacerdos: Si igitur vis ad vitam ingredi, serva mandata: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et proximum tuum sicut te ipsum.

Deinde ter exsufflet leniter in faciem infantis, et dicat semel:

Exi ab eo (*vel* ab ea), immunde spiritus, et da locum Spiritui Sancto Paraclito.

Postea pollice faciat signum Crucis in fronte, et in pectore infantis dicens:

Accipe signum Crucis tam in fronte ✝, quam in corde ✝: sume fidem coelestium praeceptorum, et talis esto moribus, ut templum Dei jam esse possis.

OREMUS.

Preces nostras, quaesumus Domine, clementer exaudi, et hunc Electum tuum N. Crucis Dominicae impressione signatum perpetua virtute custodi: ut magnitudinis gloriae tuae rudimenta servans, per custodiam mandato-

rum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde imponat manum super caput infantis, et dicat:

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum N., quem dudum ad rudimenta fidei vocare dignatus es, omnem caecitatem cordis ab eo expelle: disrumpe omnes laqueos satanae, quibus fuerat colligatus: aperi ei, Domine, januam pietatis tuae, ut, signo sapientiae tuae imbutus, omnium cupiditatum foetoribus careat, et ad suavem odorem praeceptorum tuorum laetus tibi in Ecclesia tua deserviat, et proficiat de die in diem, ut idoneus sit frui gratia Baptismi tui, quem suscepit, salis percepta medicina. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos benedicat sal, quod, semel benedictum, alias ad eumdem usum deservire potest.

BENEDICTIO SALIS.

Exorcizo te, creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis †, et in charitate Domini nostri Jesu Christi †, et in virtute Spiritus Sancti †, exorcizo te per Deum vivum †, per Deum verum †, per Deum sanctum †, per Deum †, qui te ad tutelam humani generis procreavit, et populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari praecepit; ut in nomine sanctae Trinitatis efficiaris salutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te, Domine Deus noster, ut hanc creaturam salis sanctificando sanctifices †, et benedicendo benedicas †, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine ejusdem

Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde immittat modicum salis benedicti in os infantis, dicens:

N. Accipe sal sapientiae; propitiatio sit tibi in vitam aeternam. ℟. Amen.

Sacerdos: Pax tibi. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus Patrum nostrorum, Deus universae conditor veritatis, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. respicere digneris propitius et hoc primum pabulum salis gustantem, non diutius esurire permittas, quo minus cibo repleatur coelesti; quatenus sit semper spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens, et quem ad novae regenerationis lavacrum perduxisti, quaesumus, Domine, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum aeterna praemia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Exorcizo te immunde spiritus, in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus Sancti †, ut exeas, et recedas ab hoc famulo Dei N. Ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulavit, et Petro mergenti dexteram porrexit.

Ergo, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo, et vero, da honorem Jesu Christo Filio ejus, et Spiritui Sancto: et recede ab hoc famulo Dei N., quia istum sibi Deus et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam, et benedictionem, fontemque Baptismatis vocare dignatus est.

Hic pollice in fronte signat infantem, dicens:

Et hoc signum sanctae Crucis †, quod nos fronti ejus damus, tu, maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Mox, imponit manum super caput infantis, et dicit:

OREMUS.

Æternam ac justissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, auctor luminis, et veritatis, super hunc famulum tuum N., ut digneris illum illuminare lumine intelligentiae tuae: munda eum et sanctifica: da ei scientiam veram, ut dignus sit frui gratia Baptismi tui, quem suscepit: teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, ut aptus sit ad retinendam gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos imponit extremam partem Stolae super infantem, et introducit eum in Ecclesiam, dicens:

N. Ingredere in templum Dei, ut habeas partem cum Christo in vitam aeternam.

Cum fuerint Ecclesiam ingressi, Sacerdos procedens ad Fontem, clara voce dicit:

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem coeli, et terrae. Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est judicare vivos, et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum: sanctam Ecclesiam Catholicam: Sanctorum communionem: remissionem peccatorum: carnis resurrectionem: vitam aeternam. ℟. Amen.

Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in

coelo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: Et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos a malo. ℟. Amen.

Ac deinde antequam accedat ad Baptisterium dicat:

EXORCISMUS.

Exorcizo te, omnis spiritus immunde, in nomine Dei Patris omnipotentis †, et in nomine Jesu Christi, Filii ejus, Domini, et Judicis nostri †, et in virtute Spiritus Sancti †, ut discedas ab hoc plasmate Dei N., quod Dominus noster ad templum sanctum suum vocare dignatus est, ut fieret templum Dei vivi, et Spiritus Sanctus habitet in eo. Per eumdem Christum, Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Postea Sacerdos digito accipiat de saliva oris sui et tangat aures, et nares infantis. Tangendo vero aurem dexteram et sinistram dicat:

Ephpheta, quod est adaperire: *deinde tangat nares, dicens:* In odorem suavitatis. Tu autem effugare, diabole, appropinquabit enim judicium Dei.

Postea interrogat baptizatum nominatim dicens:

N. Abrenuncias Satanae? *Resp. Patrinus:* Abrenuncio.

Sacerdos: Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuncio.

Sacerdos: Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuncio.

Deinde Sacerdos intingit pollicem in oleo Catechumenorum, et infantem ungit in pectore, et inter scapulas, in modum Crucis, dicens semel:

Ego te linio † oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro, ut habeas vitam aeternam. ℟. Amen.

Subinde pollicem, et inuncta loca abstergit bombacio, vel re simili (**hic deponit stolam violaceam et sumit aliam albi coloris**) et interrogat, expresso nomine, baptizatum, Patrino respondente:

N. Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem coeli, et terrae? ℟. Credo.

Credis in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, natum, et passum? ℟. Credo.

Credis in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam? ℟. Credo.

Sacerdos intingit pollicem in sacro Chrismate, et ungit infantem (quem Patrinus vel Matrina, vel uterque simul tenent) in summitate capitis in modum Crucis, dicens:

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua, et Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum: (*hic ungit*) ipse te liniat Chrismate salutis † in eodem Christo Jesu Domino nostro, in vitam aeternam. ℟. Amen.

Tum bombacio vel re simili, abstergit pollicem et locum inunctum et imponit capiti infantis linteolum candidum, loco vestis albae, dicens:

Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam aeternam. ℟. Amen.

Postea dat ei, vel Patrino, candelam accensam, dicens:

Accipe lampadem ardentem, et irreprehensibilis custodi Baptismum tuum: serva Dei mandata, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei, una cum omnibus Sanctis in aula coelesti; habeasque vitam aeternam, et vivas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Postremo dicit:

N. Vade in pace, et Dominus sit tecum. ℟. Amen.

Si vero fuerint plures infantes, masculi seu foeminae, in Catechismo, masculi statuantur ad dexteram, foeminae vero ad sinistram; et omnia pariter dicantur, ut supra, in proprio genere, et in numero

plurali. Verum prima nominis interrogatio, exsufflatio, Crucis impressio seu signatio, tactus aurium et narium cum saliva, abrenuntiationis interrogatio, unctio Olei Catechumenorum, interrogatio de Fide seu Symbolo, inunctio Chrismatis, candidae vestis impositio, atque candelae accensae traditio singulariter singulis, et primum masculis deinde foeminis fieri debent.

ORDO BAPTISMI ADULTORUM.

In primis Sacerdos, paratis his, quae supra de observandis in administratione Sacramenti Baptismi Parvulorum dicuntur, indutus superpelliceo et stola, vel etiam pluviali violacei coloris, cum suis Clericis accedit ad gradus Altaris, et genibus flexis, pia mente ad Deum preces effundit, ut tantum Sacramentum digne valeat ministrare, et ad implorandum divinum auxilium, surgens, se signat, et si temporis ratio ferat, dicit:

℣. Deus, in adjutorium meum intende. ℟. Domine, ad adjuvandum me festina. ℣. Gloria Patri, etc.

Postea incipiat, prosequentibus Clericis.

***Ant.* Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, dicit Dominus.**

Psalmus 8.

Domine, Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua * super coelos.

Ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, * ut destruas inimicum, et ultorem.

Quoniam videbo coelos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam et stellas, quae tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum, * et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, * oves, et boves universas, insuper et pecora campi.

Volucres coeli, et pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine, Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Gloria Patri, etc.

Psalmus 28.

Afferte Domino filii Dei * afferte Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus: * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: * Dominus super aquas multas.

Vox Domini in virtute: * vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentis cedros: * et confringet Dominus cedros Libani.

Et comminuet eas tamquam vitulum Libani: * et dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Domini intercidentis flammam ignis: * vox Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades.

Vox Domini praeparantis cervos, et revelabit condensa: * et in templo ejus omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitare facit: * et sedebit Dominus Rex in aeternum.

Dominus virtutem populo suo dabit: * Dominus benedicet populo suo in pace. Gloria Patri, etc.

Psalmus 41.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: * ita desiderat anima mea ad te, Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum: * quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, * dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?

Haec recordatus sum, et effudi in me animam meam: * quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.

In voce exultationis, et confessionis, * sonus epulantis?

Quare tristis es, anima mea? * et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est: * propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico.

Abyssus abyssum invocat, * in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui * super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam, * et nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitae meae, * dicam Deo : Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei ? * et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus ?

Dum confringuntur ossa mea, * exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies : Ubi est Deus tuus ? * quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me ?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : * salutare vultus mei, et Deus meus. Gloria Patri, etc.

Et repetitur Antiphona. Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, dicit Dominus.

Deinde dicitur. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei, aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare unitatem : quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur adversis.

ORATIO.

Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus : et quod humilitatis nostrae gerendum est ministerio, tuae virtutis impleatur effectu.

ORATIO.

Da, quaesumus Domine, Electo nostro, ut sanctis edoctus mysteriis, et renovetur fonte Baptismatis, et inter Ecclesiae tuae membra numeretur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si plures fuerint baptizandi, haec tertia Oratio dicatur in numero plurali.

Deinde Sacerdos procedit, ad fores Ecclesiae, et stat in limine, catechizandus vero extra limen. Et si sunt plures, mares et foeminae, illi ad dexteram Sacerdotis, hae vero ad sinistram statuantur.

Sacerdos interrogat: Quo nomine vocaris?

Catechumenus respondet: N.

Sacerdos: N. Quid petis ab Ecclesia Dei. ℟. Fidem.

Sacerdos: Fides, quid tibi praestat? ℟. Vitam aeternam.

Sacerdos: Si vis habere vitam aeternam, serva mandata. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis tota Lex pendet et Prophetae. Fides autem est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate venereris, neque confundendo personas, neque substantiam separando. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti; sed horum trium una est substantia, et nonnisi una Divinitas.

Et rursus interrogat: N. Abrenuntias Satanae?

℟. Abrenuntio.

Interrogat: Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio.

Interrogat: Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuntio.

Deinde Sacerdos interrogat de Symbolo Fidei, dicens:

Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae? ℟. Credo.

Interrogat: Credis in Jesum Christum Filium ejus uni-

cum, Dominum nostrum, natum et passum? ℟. Credo.

Interrogat: Credis et in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam aeternam? ℟. Credo.

Tunc Sacerdos exsufflet ter in faciem ejus semel dicens:

Exi ab eo, (*vel* ea) spiritus immunde, et da locum Spiritui Sancto Paraclito.

Hic in modum Crucis halet in faciem ipsius, et dicat:

N. Accipe Spiritum bonum per istam insufflationem, et Dei benedictionem †. Pax tibi.

Deinde facit Crucem cum pollice in ejus fronte, et in pectore, dicens:

N. Accipe signum Crucis tam in fronte †, quam in corde †: sume fidem coelestium praeceptorum: talis esto moribus, ut templum Dei jam esse possis: ingressusque Ecclesiam Dei evasisse te laqueos mortis laetus agnosce:

Et si Catechumenus venit de Gentilitatis errore sive de Ethnicis, et Idololatris, dicat:

Horresce idola, respue simulacra.

Si ex Hebraeis, dicat:

Horresce Judaicam perfidiam, respue Hebraicam superstitionem.

Si ex Mahumetanis, dicat:

Horresce Mahumeticam perfidiam, respue pravam sectam infidelitatis.

Si ex Haereticis, et in ejus baptismo debita forma servata non sit, dicat:

Horresce haereticam pravitatem, respue nefarias sectas impiorum N.

Exprimens proprio nomine sectam, de qua venit. Inde prosequatur:

Cole Deum omnipotentem, et Jesum Christum Filium

ejus unicum, Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Si plures sunt Electi, omnia supradicta dicuntur singillatim super singulos.

OREMUS.

Te deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, ut huic famulo tuo N., qui in hujus saeculi nocte vagatur incertus ac dubius, viam veritatis et agnitionis tuae jubeas demonstrari: quatenus, reseratis oculis cordis sui, te unum Deum Patrem in Filio, et Filium in Patre cum Spiritu Sancto recognoscat, atque hujus confessionis fructum, et hic, et in futuro saeculo percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si plures sint Electi, praecedens Oratio dicatur in numero plurali. Sequentes autem Signationes fiant cum suis verbis singillatim super singulos.

Deinde signet Electum signo Crucis cum pollice in fronte dicens:

Signo tibi frontem, † ut suscipias Crucem Domini.

In auribus. Signo tibi aures, † ut audias divina praecepta.

In oculis. Signo tibi oculos, † ut videas claritatem Dei.

In naribus. Signo tibi nares, † ut odorem suavitatis Christi sentias.

In ore. Signo tibi os, † ut loquaris verba vitae.

In pectore. Signo tibi pectus, † ut credas in Deum.

In scapulis. Signo tibi scapulas, † ut suscipias jugum servitutis ejus.

In toto corpore, illud non tangens, manu producit signum Crucis, et dicit:

Signo te totum in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti, ut habeas vitam aeternam, et vivas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

Preces nostras, quaesumus Domine, clementer exaudi, et hunc Electum tuum N. Crucis Dominicae, cujus impressione eum signamus, virtute custodi: ut magnitudinis gloriae tuae rudimenta servans, per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Deus, qui humani generis ita es conditor, ut sis etiam reformator, propitiare populis adoptivis, et novo testamento sobolem novae prolis adscribe: ut filii promissionis, quod non potuerunt assequi per naturam, gaudeant se recepisse per gratiam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc imponit manum super caput Electi, et dicit:

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere digneris super hunc famulum tuum N., quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem caecitatem cordis ab eo expelle: disrumpe omnes laqueos Satanae, quibus fuerat colligatus; aperi ei, Domine, januam pietatis tuae, ut signo sapientiae tuae imbutus, omnium cupiditatum foetoribus careat, et ad suavem odorem praeceptorum tuorum laetus tibi in Ecclesia tua deserviat, et proficiat de die in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui, percepta medicina. Per eundem Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.

Si plures sint, haec, et praecedens Oratio, *Preces nostras*, *etc.* dicantur in numero plurali.

Deinde Sacerdos benedicit sal.

BENEDICTIO SALIS DANDI CATECHUMENO.

Exorcizo te creatura salis, in nomine Dei Patris † omnipotentis, et in charitate Domini nostri Jesu † Christi, et in virtute Spiritus † Sancti. Exorcizo te per Deum vivum †, per Deum verum †, per Deum sanctum †, per Deum †, qui te ad tutelam humani generis procreavit, et populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari praecepit, ut in nomine sanctae Trinitatis efficiaris salutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te, Domine, Deus noster, ut hanc creaturam salis sanctificando sanctifices †, et benedicendo benedicas †, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Quod si Catechumenus fuerit Gentilis, sive ex Idololatris venerit ad Fidem; benedicto sale, antequam ejus medicinam gustet, Sacerdos addat sequentem orationem, quae tamen pro venientibus ex Hebraeis vel aliis, ut supra, non dicitur.

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui es, qui eras, et qui permanes usque in finem, cujus origo nescitur, nec finis comprehendi potest: te supplices invocamus super hunc famulum tuum N., quem liberasti de errore gentilium, et conversatione turpissima; dignare exaudire eum, qui tibi cervices suas humiliat ad lavacri fontem, ut renatus ex aqua, et Spiritu Sancto, expoliatus veterem hominem induat novum, qui secundum te creatus est; accipiat vestem incorruptam, et immaculatam, tibique Deo nostro servire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc pollice et indice accipit de ipso sale, et immittit in os Catechumeni, dicens:

N. Accipe sal sapientiae: propitiatio tibi sit in vitam aeternam. ℟. Amen.

Sacerdos. Pax tibi. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus patrum nostrorum, Deus universae conditor veritatis, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. respicere digneris propitius, et hoc primum pabulum salis gustantem, non diutius esurire permittas, quo minus cibo expleatur coelesti, quatenus sit semper spiritu fervens spe gaudens, tuo semper nomini serviens. Perduc eum, Domine quaesumus, ad novae regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum aeterna praemia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si plures sint, dicatur singulis: *N. Accipe sal, etc.* et praecedentes Orationes in numero plurali.

Si inter Catechumenos adsint foeminae, recedant ipsae in partem, quousque tertio dicatur masculis Ora Electe, etc., *et hi signati fuerint in fronte.*

Si plures sint Catechumeni hic et in sequentibus, Sacerdos dicit in numero plurali:

Orate Electi, flectite genua etc.

Deinde Sacerdos dicat super masculum tantum.

Ora, Electe, flecte genua, et dic Pater noster.

Et Electus genuflexus orat et dicit: *Pater noster.*

Et cum oraverit, et dixerit *Pater noster*, usque ad, *Sed libera nos a malo*, inclusive, Sacerdos subjungit:

Leva, comple orationem tuam, et dic Amen.

Et ille respondet: Amen.

Et Sacerdos dicit Patrino: Signa eum.

Deinde Electo: Accede.

Et Patrinus pollice signat eum in fronte, dicens:

In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti.

Tum quoque Sacerdos facit Crucem in fronte ejus, ita dicendo:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Et imponit manum super eum, et dicit:

OREMUS.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, et filios Israel de terra Ægypti eduxisti, deputans eis Angelum pietatis tuae, qui custodiret eos die ac nocte: te quaesumus, Domine, ut mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui similiter custodiat et hunc famulum tuum N., et perducat eum ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

EXORCISMUS.

Ergo, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo et vero, da honorem Jesu Christo Filio ejus, et Spiritui Sancto, et recede ab hoc famulo Dei N., quia istum sibi Deus, et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam, Fontemque Baptismatis vocare dignatus est: et hoc signum sanctae Crucis †, quod nos fronti ejus damus, tu, maledicte diabole, numquam audeas violare. Per eumdem Christum Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Sacerdos dicit secundo Electo:

Ora, Electe, flecte genua, et dic Pater noster.

Et Electus genuflexus orat, et dicit: *Pater noster*, usque ad *Sed libera nos a malo* inclusive.

Sacerdos subjungit : Leva, comple orationem tuam, et dic Amen.

Electus surgens respondet : Amen.

Sacerdos dicit Patrino : Signa eum.

Deinde Electo : Accede.

Et Patrinus pollice signat Electum in fronte ejus, dicens:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Et Sacerdos pariter facit signum Crucis in fronte ejus, dicens:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Deinde imponit manum super eum, ac dicit.

OREMUS.

Deus, immortale praesidium omnium postulantium, liberatio supplicum, pax rogantium, vita credentium, resurrectio mortuorum: te invoco super hunc famulum, tuum N., qui Baptismi tui donum petens, aeternam consequi gratiam spirituali regeneratione desiderat: accipe eum, Domine, et quia dignatus es dicere: Petite, et accipietis; quaerite, et invenietis, pulsate, et aperietur vobis, petenti praemium porrige et januam pande pulsanti: ut aeternam coelestis lavacri benedictionem consecutus, promissa tui muneris regna percipiat. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. ℟. Amen.

EXORCISMUS.

Audi, maledicte Satana, adjuratus per nomen aeterni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi Filii ejus, cum tua victus invidia, tremens, gemensque discede: nihil tibi sit commune cum servo Dei N., jam coelestia cogitante, renuntiaturo tibi, et saeculo tuo, et beatae immortalitati victuro. Da igitur honorem advenienti Spiritui Sancto, qui ex summa coeli arce descendens, proturbatis fraudi-

bus tuis, divino Fonte purgatum pectus, sanctificatum Deo templum et habitaculum perficiat, ut ab omnibus penitus noxiis praeteritorum criminum liberatus servus Dei, gratias perennes Deo referat semper, et benedicat nomen sanctum ejus in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Sacerdos tertio dicit Electo:

Ora, Electe, flecte genua, et dic Pater noster.

Et Electus genuflexus orat, et dicit: *Pater noster* usque ad *Sed libera nos a malo* inclusive,

Sacerdos subjungit: Leva, comple orationem tuam, et dic Amen.

Electus surgens respondet: Amen.

Sacerdos dicit Patrino: Signa eum.

Deinde dicit Electo: Accede.

Et Patrinus cum pollice signat Electum in fronte, dicens:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Et Sacerdos pariter facit signum Crucis in fronte ejus, dicens:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Deinde imponit manum super eum dicens:

EXORCISMUS.

Exorcizo te, immunde spiritus, in nomine Patris †, et Fi † lii, et Spiritus † Sancti, ut exeas et recedas ab hoc famulo Dei N.: ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulavit, et Petro mergenti dexteram porrexit.

EXORCISMUS.

Ergo, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo, et vero, da honorem Jesu Christo Filio ejus, et Spiritui Sancto: recede ab hoc famulo Dei N., quia istum sibi Deus et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam, Fontemque

Baptismatis vocare dignatus est, et hoc signum sanctae Crucis †, quod nos fronti ejus damus, tu, maledicte diabole, numquam audeas violare. Per eumdem Christum Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Si, ut supra, adsint foeminae, retrahunt se masculi in partem, et accedunt foeminae ante Sacerdotem, et stant.

Si plures fuerint foeminae Catechumenae, hic et in sequentibus, Sacerdos dicat in numero plurali: *Orate Electae, flectite genua*, etc.

Sacerdos dicit Catechumenae:

Ora, Electa, flecte genua, et dic Pater noster.

Et Electa genu flexo orat, et dicit: *Pater noster etc.* et cum dixerit usque ad *Sed libera nos a malo* inclusive,

Sacerdos dicit: Leva, comple orationem tuam et dic Amen.

Electa surgens respondet: Amen.

Sacerdos dicit Patrino: Signa eam.

Deinde dicit Electae: Accede.

Et Patrinus pollice signat Electam in fronte, dicens:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Et Sacerdos pariter facit signum Crucis in fronte ejus et dicit:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Deinde imponit manum super eam, et dicit:

OREMUS.

Deus coeli, Deus terrae, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Patriarcharum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, Deus omnium bene viventium, Deus, cui omnis lingua confitetur, et omne genuflectitur coelestium, terrestrium, et infernorum, te invoco, Domine, super hanc famulam tuam N., ut eam custodire,

et perducere digneris ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde dicitur:

EXORCISMUS.

Ergo, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo, et vero; da honorem Jesu Christo, Filio ejus, et Spiritui Sancto: recede ab hac famula Dei N., quia istam sibi Deus et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam, fontemque Baptismatis vocare dignatus est: et hoc signum sanctae Crucis †, quod nos fronti ejus damus, tu, maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eumdem Christum Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Sacerdos dicit secundo Electae:

Ora, Electa, flecte genua, et dic: Pater noster.

Et Electa, genu flexo, orat et dicit: *Pater noster.* Et cum dixerit usque ad *Sed libera nos a malo* inclusive,

Sacerdos dicit: Leva, comple orationem tuam et dic Amen.

Electa surgens respondet: Amen.

Sacerdos dicit Patrino: Signa eam.

Deinde dicit Electae: Accede.

Et Patrinus cum pollice signat Electam in fronte dicens:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Et Sacerdos facit pariter signum Crucis in fronte ejus dicens:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Deinde Sacerdos imponit manum super caput Electae, et dicit:

OREMUS.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, et filios Israel de terra Ægypti eduxisti, deputans eis Angelum

pietatis tuae, qui custodiret eos die, ac nocte: te, quaesumus, Domine, ut mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui similiter custodiat et hanc famulam tuam N., et perducat eam ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Sacerdos tertio dicit Electae:

Ora, Electa, flecte genua, et dic: Pater noster.

Electa genu flexo orat, et dicit: *Pater noster.* Et cum dixerit usque ad *Sed libera nos a malo*, inclusive.

Sacerdos dicit: Leva, comple orationem tuam et dic Amen.

Electa surgens respondet: Amen.

Sacerdos dicit Patrino: Signa eam.

Deinde dicit Electae: Accede.

Et Patrinus signat cum pollice Electam in fronte, dicens:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Et Sacerdos pariter facit signum Crucis in fronte ejus dicens:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Deinde imponit manum super caput Electae, et dicit:

EXORCISMUS.

Exorcizo te, immunde spiritus, per Patrem †, et Filium †, et Spiritum † Sanctum, ut exeas, et recedas ab hac famula Dei N. Ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui caeco nato oculos aperuit, et quatriduanum Lazarum de monumento suscitavit.

EXORCISMUS.

Ergo, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo, et vero; da honorem Jesu Christo, Filio ejus, et Spiritui Sancto; recede ab hac famula Dei N., quia istam sibi Deus et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam, fontemque Baptismatis vocare dignatus est: et hoc signum sanctae

Crucis †, quod nos fronti ejus damus, tu, maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eumdem Christum Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Postmodum accedunt iterum masculi, qui se retraxerant et ipsi ad dexteram, foeminae vero ad sinistram Sacerdotis, ut in principio, disponuntur.

Sacerdos imponit manum super Electum, vel si sint plures super singulos tam masculos, quam foeminas, et dicit:

OREMUS.

Æternam ac justissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, auctor luminis et veritatis, super hunc famulum tuum N., ut digneris eum illuminare lumine intelligentiae tuae: munda eum, et sanctifica: da ei scientiam veram, ut dignus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui, teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, ut aptus sit ad percipiendam gratiam tuam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si plures fuerint Electi, sive mares, sive foeminae, praecedens Oratio dicatur in numero plurali, et in genere proprio, ut superius dictum est.

His peractis, Sacerdos sinistra manu apprehendens dexteram Electi prope brachium, vel ei porrigens extremam partem stolae, introducit eum in Ecclesiam dicens:

N. Ingredere in sanctam Ecclesiam Dei, ut accipias benedictionem coelestem a Domino Jesu Christo, et habeas partem cum illo, et Sanctis ejus. ℟. Amen.

Si plures fuerint, dicat in numero plurali: *Ingredimini in sanctam Ecclesiam Dei, etc.* et introducat eos, ut supra.

Et ingressus Electus, procumbit, seu prosternit se in pavimento, et adorat.

Deinde surgit, et Sacerdos imponit manum super caput ejus, et Electus cum eo recitat Symbolum Apostolorum, et Orationem Dominicam.

Ita etiam si plures fuerint, omnes surgunt, et simul recitant:

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae. Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est judicare vivos, et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum: sanctam Ecclesiam Catholicam: Sanctorum communionem: remissionem peccatorum: carnis resurrectionem: vitam aeternam. Amen.

Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos a malo. Amen.

Tunc rursus Sacerdos imponat manum super caput Electi, et dicat:

EXORCISMUS.

Nec te latet, Satana, imminere tibi poenas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem judicii, diem supplicii sempiterni; diem, qui venturus est velut clibanus ardens, in quo tibi, atque universis angelis tuis praeparatus sempiternus erit interitus. Proinde, damnate, atque damnande, da honorem Deo vivo et vero, da honorem Jesu Christo Filio ejus, da honorem Spiritui Sancto Paraclito, in cujus nomine, atque virtute praecipio tibi, quicumque es spiritus immunde, ut exeas, et recedas ab hoc famulo Dei N., quem hodie idem Deus et Dominus

noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam et benedictionem, Fontemque Baptismatis dono vocare dignatus est: ut fiat ejus templum per aquam regenerationis in remissionem omnium peccatorum. In nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Similiter si plures fuerint, imponit manum super capita singulorum, et dicit eumdem Exorcismum in numero multitudinis, et genere suo.

Postea Sacerdos pollice accipit de saliva oris sui, et tangit aures, et nares Electi; tangendo vero aurem dexteram et sinistram, dicat:

Ephpheta, quod est, adaperire: *deinde tangendo nares, dicat:* In odorem suavitatis; *et subdit*: Tu autem effugare, diabole, appropinquabit enim judicium Dei.

Deinde interrogat Electum: Quis vocaris?

Et ipse respondet: N.

Interrogat: N. Abrenuntias Satanae? ℟. Abrenuntio.

Interrogat: Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio.

Interrogat: Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuntio.

Tunc Sacerdos intingit pollicem dexterae manus in Oleo sancto Catechumenorum, et inungit Electum primum in pectore, deinde inter scapulas, in modum Crucis, dicens:

Ego te linio Oleo salutis † in Christo Jesu Domino nostro in vitam aeternam. ℟. Amen.

℣. Pax tibi. ℟. Et cum spiritu tuo.

Mox bombacio, vel re simili tergit pollicem, et loca inuncta, et subjungit, dicens:

Exi, immunde spiritus, et da honorem Deo vivo et vero. Fuge, immunde spiritus, et da locum Jesu Christo Filio ejus. Recede, immunde spiritus, et da locum Spiritui Sancto Paraclito.

Quando plures sunt Electi, idem fit circa singulos eorum. Et ducitur Electus ad Baptisterium: ubi si ob aliquam causam non habeatur, sive praeparata non fuerit aqua Baptismalis, fiat benedictio Fontis, ut infra ponitur (pag. 205. et 210.). (**Hic Sacerdos deponat stolam, et pluviale violaceum et sumat aliud albi coloris.**) Et cum fuerit prope Fontem, Sacerdos interrogat:

Quis vocaris? *Respondet:* N.

Interrogat: N. Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae? ℟. Credo.

Interrogat: Credis in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum, et passum. ℟. Credo.

Interrogat: Credis et in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam aeternam? ℟. Credo.

Iterum interrogat, dicens: N. Quid petis?

Respondet: Baptismum.

Interrogat: Vis baptizari? *Respondet:* Volo.

Tunc Patrino, vel Matrina, vel utroque, si ambo admittantur, admota manu, tenente, seu tangente Electum, vel Electam, aperto capite, et laxatis a collo vestibus, inclinatum, Sacerdos vasculo vel urceolo hauriat aquam Baptismalem de Fonte, et cum ea sub trina supra caput in modum Crucis infusione baptizet Electum, seu Electam, in nomine Ss. Trinitatis, sic dicens:

N. Ego te baptizo in nomine Patris †, *fundat primo:* et Filii †, *fundat secundo:* et Spiritus † Sancti, *fundat tertio.*

Si aqua, quae ex capite baptizati defluit, non dilabitur in sacrarium Baptisterii, recipiatur in subjecta aliqua pelvi, et in illud postmodum projiciatur.

Cum plures sunt Electi, singillatim singuli interrogantur, et baptizantur, ut supra.

Si sunt mares, et foeminae, primum mares, deinde foeminae.

Verum si probabiliter dubitetur, an Electus fuerit alias baptizatus, dicat Sacerdos:

Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti.

Deinde Sacerdos intingat pollicem dexterum in sacrum Chrisma, et perungat verticem Electi in modum Crucis, dicens:

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat Chrismate salutis † in eodem Christo Jesu Domino nostro in vitam aeternam. ℟. Amen.

℣. Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Tunc bombacio, vel re simili pollicem tergit, et imponit capiti Electi Chrismale, seu candidum linteolum, et dat illi vestem candidam, dicens:

Accipe vestem candidam, et immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam aeternam. ℟. Amen.

Et Electus deponit priores vestes, et induitur novis albi coloris, vel saltem exteriore candida, quam a Sacerdote accepit:

Postea dat ei Sacerdos cereum, seu candelam accensam in manu dextera, dicens:

Accipe lampadem ardentem, et irreprehensibilis custodi Baptismum tuum: serva Dei mandata, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei in aula coelesti in vitam aeternam. ℟. Amen.

Ipse vero Neophytus eumdem cereum accensum manibus teneat usque in finem, praeterquam dum confirmatur.

In Ecclesiis autem ubi Baptismus fit per immersionem, sive totius corporis, sive capitis tantum, Sacerdos accipiat Electum per brachia prope humeros, et superiore parte corporis nudatum, reliqua honeste contectum, ter illum, vel caput ejus mergendo, et toties elevando, baptizet sub trina immersione, Ss. Trinitatem semel tantum sic in-

vocando: *Ego te baptizo in nomine Patris,* † mergat semel: *et Filii,* † mergat iterum: *et Spiritus Sancti,* † mergat tertio: Patrino, vel Matrina, vel utroque eum tenente, vel tangente.

Et cum Electus surrexerit de Fonte, Patrinus vel Matrina cum linteo in manibus suscipit eum de manu Sacerdotis: et Sacerdos intincto pollice dextero in sacro Chrismate, illum in vertice in modum Crucis perungit, dicens: *Deus omnipotens, Pater etc.* ut pag. 202.

Deinde Sacerdos imponit capiti ejus linteolum, seu Chrismale, et dat ei vestem candidam, dicens: *Accipe vestem candidam etc.* pag. 202.

Et statim praedicto linteo abstergitur, et in loco semoto vestitur novis et albis vestibus, et exteriore candida, quam accepit.

Postea dat ei Sacerdos candelam accensam in manu dextera, dicens: *Accipe lampadem ardentem etc.* ut pag. 202. Eodem modo, si plures fuerint, fit pro singulis. Postea dicat: *N. Vade in pace, et Dominus sit tecum.* ℟. *Amen.*

ORDO SUPPLENDI OMISSA SUPER BAPTIZATUM ADULTUM.

Idem ordo ac ritus servetur, qui in baptismo adultorum praescriptus est, pag. 183: excepto quod interrogatio an velit baptizari, formaque baptismi et ablutio praetermittuntur, et quaedam orationes, et exorcismi, suo quique loco immutati, ut infra dicuntur.

Sacerdos igitur, antequam mittat sal in os baptizati, manus super caput ejus imponens, dicit (In plurali pro pluribus.):

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum N., quem dudum ad rudimenta fidei vocare dignatus es; omnem caecitatem cordis ab eo expelle; disrumpe omnes laqueos satanae, quibus fuerat colligatus: aperi ei, Domine, januam pietatis tuae, ut, signo sapientiae tuae imbutus, omnium cupiditatum foetoribus careat, et ad suavem odorem praeceptorum tuorum laetus tibi in Ecclesia tua deserviat, et proficiat de die in diem, ut idoneus sit frui

gratia baptismi tui, quem suscepit, salis percepta medicina. Per eumdem Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.

Posteaquam modicum salis immisit in os baptizati, dicens (Singulis si plures):

N. Accipe sal sapientiae: propitiatio sit tibi in vitam aeternam. ℟. Amen.

Dicit: Pax tibi. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

(In plurali pro pluribus.)

Deus patrum nostrorum, Deus universae conditor veritatis, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. respicere digneris propitius, et hoc pabulum salis gustantem, non diutius esurire permittas, quo minus cibo expleatur coelesti; quatenus sit semper spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens; et quem ad novae regenerationis lavacrum perduxisti, quaesumus, Domine, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum aeterna praemia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Facto signo Crucis in fronte baptizati (pag. 197.) dictisque illis verbis:

Et hoc signum sanctae Crucis ✝, quod nos fronti ejus damus tu, maledicte diabole, numquam audeas violare. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Manu super caput ejus imposita, dicit (In plurali pro pluribus.):

OREMUS.

Æternam, ac justissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, auctor luminis et veritatis, super hunc famulum tuum N., ut digneris illum illuminare lumine intelligentiae tuae: munda eum, et sanctifica: da ei scientiam veram,

ut dignus efficiatur frui gratia baptismi tui, quem suscepit: teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, ut aptus sit ad retinendam gratiam baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Praeterea, haec mutari debent: *Primum in Exorcismo*, Audi, maledicte satana, (pag. 193.) *ubi dicitur* (habitaculum perficiat), *dicatur*, habitaculum perfecit: *deinde in Exorcismo* Nec te latet (pag. 199.) *ubi dicitur* (ut fiat), *dicatur* ut fieret.

BENEDICTIO FONTIS BAPTISMI

Extra Sabbatum Paschae et Pentecostes, cum Aqua Consecrata non habetur.

Primum lavatur, et mundatur vas Baptisterii, deinde limpida aqua repletur, Tunc Sacerdos cum suis Clericis, vel etiam aliis Presbyteris, Cruce et duobus cereis praecedentibus, ac thuribulo et incenso, et cum vasculis Chrismatis, et Olei Catechumenorum descendit ad Fontem, et ibi, vel ante Altare Baptisterii dicit Litaniam ordinariam, prout habetur infra. Et ante ℣. **Ut nos exaudire digneris**, dicat et secundo repetat sequentem.

℣. Ut Fontem istum ad regenerandam tibi novam prolem benedicere †, et consecrare † digneris, Te rogamus audi nos.

Potest etiam dici Litania brevior, ut in Missali in Sabbato Sancto:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, Ora pro nobis.
Sancta Virgo virginum, Ora pro nobis.
Sancte Michael, Ora pro nobis.

Sancte Gabriel, Ora pro nobis.
Sancte Raphael, Ora pro nobis.
Omnes sancti Angeli et Archangeli, Orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines, Orate etc.
Sancte Joannes Baptista, Ora pro nobis.
Sancte Joseph, Ora pro nobis.
Omnes sancti Patriarchae et Prophetae, Orate pro nobis.
Sancte Petre, Ora pro nobis.
Sancte Paule, Ora pro nobis.
Sancte Andrea, Ora pro nobis.
Sancte Joannes, Ora pro nobis.
Omnes sancti Apostoli et Evangelistae, Orate pro nobis.
Omnes sancti Discipuli Domini, Orate pro nobis.
Sancte Stephane, Ora pro nobis.
Sancte Laurenti, Ora pro nobis.
Sancte Vincenti, Ora pro nobis.
Omnes sancti Martyres, Orate pro nobis.
Sancte Sylvester, Ora pro nobis.
Sancte Gregori, Ora pro nobis.
Sancte Augustine, Ora pro nobis.
Omnes sancti Pontifices et Confessores, Orate pro nobis.
Omnes sancti Doctores, Orate pro nobis.
Sancte Antoni, Ora pro nobis.
Sancte Benedicte, Ora pro nobis.
Sancte Dominice, Ora pro nobis.
Sancte Francisce, Ora pro nobis.
Omnes sancti Sacerdotes et Levitae, Orate pro nobis.
Omnes sancti Monachi et Eremitae, Orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena, Ora pro nobis.
Sancta Agnes, Ora pro nobis.
Sancta Caecilia, Ora pro nobis.
Sancta Agatha, Ora pro nobis.
Sancta Anastasia, Ora pro nobis.
Omnes sanctae Virgines et Viduae, Orate pro nobis.
Omnes Sancti et Sanctae Dei, Intercedite pro nobis.

Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato, Libera nos Domine.
A morte perpetua, Libera nos Domine.
Per mysterium sanctae incarnationis tuae, Libera etc.
Per adventum tuum, Libera nos Domine.
Per nativitatem tuam, Libera nos Domine.
Per baptismum et sanctum jejunium tuum, Libera etc.
Per crucem et passionem tuam, Libera nos Domine.
Per mortem et sepulturam tuam, Libera nos Domine.
Per sanctam resurrectionem tuam, Libera nos Dñe.
Per admirabilem ascensionem tuam, Libera nos Dñe.
Per adventum Spiritus Sancti Paracliti, Libera nos Dñe.
In die Judicii, Libera nos Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus audi nos.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut domnum Apostolicum, et omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris, Te rogamus etc.
Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut regibus et principibus Christianis pacem et veram concordiam donare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, Te rogamus audi nos.
Ut fructus terrae dare et conservare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut fontem istum ad regenerandam tibi novam prolem bene † dicere et conse † crare digneris, Te rogamus etc.

Ut fontem istum ad regenerandam tibi novam prolem bene † dicere et conse † crare digneris, Te rogamus etc.
Ut nos exaudire digneris, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Dñe.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Dñe.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Et dicto ultimo, *Kyrie eleison*, Sacerdos dicat: *Pater noster*, et *Credo in Deum. etc.* omnia clara voce: quibus finitis dicat:

℣. Apud te, Domine, est fons vitae.
℟. Et in lumine tuo videbimus lumen.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne Deus, adesto magnae pietatis tuae mysteriis, adesto Sacramentis, et ad recreandos novos populos, quos tibi Fons Baptismatis parturit, spiritum adoptionis emitte: ut quod nostrae humilitatis gerendum est ministerio, virtutis tuae impleatur effectu. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

EXORCISMUS AQUAE.

Exorcizo te, creatura aquae, per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Deum, qui te in principio, verbo separavit ab arida, cujus super te Spiritus ferebatur, qui te de Paradiso manare jussit.

Hic manu aquam dividat, et deinde de ea effundat extra marginem Fontis, versus quatuor Orbis partes, prosequens:

Et in quatuor fluminibus totam terram rigare praecepit: qui te in deserto amaram, per lignum dulcem fecit, atque potabilem: qui te de petra produxit, ut populum, quem ex Ægypto liberaverat, siti fatigatum recrearet. Exorcizo te per Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui te in Cana Galilaeae signo admirabili sua potentia convertit in vinum: qui super te pedibus ambulavit et a Joanne in Jordane in te baptizatus est: qui te una cum Sanguine de latere suo produxit: et discipulis suis jussit, ut credentes baptizarent in te, dicens: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; ut efficiaris aqua sancta, aqua benedicta, aqua, quae lavat sordes, et mundat peccata. Tibi igitur praecipio, omnis spiritus immunde, omne phantasma, omne mendacium, eradicâre, et effugare ab hac creatura aquae, ut qui in ipsa baptizandi erunt, fiat eis fons aquae salientis in vitam aeternam, regenerans eos Deo Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, aquarum spiritualium sanctificator, te suppliciter deprecamur, ut ad hoc ministerium humilitatis nostrae respicere digneris, et super has aquas abluendis et purificandis hominibus praeparatas, Angelum sanctitatis emittas, quo peccatis vitae prioris ablutis, reatuque deterso, purum Sancto Spiritui habitaculum regenerati effici mereantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum:

qui tecum vivit, et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Tunc sufflet ter in aquam versus tres partes secundum hanc figuram (ᛘ); deinde imponit incensum in thuribulo, et fontem incensat. Postea infundens de Oleo Catechumenorum in aquam in modum Crucis, clara voce dicit:

Sanctificetur, et foecundetur Fons iste Oleo salutis renascentibus ex eo in vitam aeternam in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti. ℟. Amen.

Deinde infundit de Chrismate, modo quo supra, dicens:

Infusio Chrismatis Domini Jesu Christi, et Spiritus Sancti Paracliti, fiat in nomine sanctae Trinitatis. ℟. Amen.

Postea accipit ambas ampullas dicti Olei sancti et Chrismatis, et de utroque simul in modum Crucis infundendo, dicit:

Commixtio Chrismatis sanctificationis, et Olei unctionis, et aquae Baptismatis pariter fiat in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti. ℟. Amen.

Tum deposita ampulla, dextera manu Oleum sanctum, et Chrisma infusum miscet cum aqua, et spargit per totum Fontem. Deinde medulla panis manum tergit; et si quis baptizandus est, eum baptizat, ut supra. Quod si neminem baptizat, statim manus abluat, et ablutio effundatur in Sacrarium.

FORMULA BREVIS CONFICIENDAE AQUAE Baptismalis, praescripta a Concilio Baltimorensi Provinciali primo, et a PIO VIII. approbata, ad usum Missionariorum Americae Septentrionalis.

BENEDICTIO FONTIS, SEU AQUAE BAPTISMALIS.

Exorcizo te, creatura aquae, in nomine Dei Patris omnipotentis †, et in nomine Jesu Christi † Filii ejus Domini nostri, et in virtute Spiritus † Sancti. Exorcizo

te, omnis virtus adversarii diaboli; ut omnis phantasia eradicetur, ac effugetur ab hac creatura aquae, et fiat fons aquae salientis in vitam aeternam, ut qui ex ea baptizati fuerint, fiant templum Dei vivi, et Spiritus Sanctus habitet in eis in remissionem peccatorum: in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, aquarum spiritualium sanctificator, te suppliciter deprecamur, ut hoc ministerium humilitatis nostrae respicere digneris, et super has aquas, abluendis et vivificandis hominibus praeparatas, Angelum sanctitatis emittas, ut peccatis prioris vitae ablutis, reatuque deterso, purum sacrato Spiritui habitaculum regenerationibus procuret. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Infundat deinceps Sanctum Oleum in aquam, in modum Crucis, dicens:

Conjunctio Olei unctionis, et aquae Baptismatis sanctificetur et foecundetur. In nomine Pa † tris, et Fi † lii, et Spiritus † Sancti. ℟. Amen.

Deinde Chrisma aquae infundat, in modum Crucis, et dicat:

Conjunctio Chrismatis sanctificationis et Olei unctionis, et aquae Baptismatis, sanctificetur et foecundetur. In nomine Pa † tris, et Fi † lii, et Spiritus † Sancti. ℟. Amen.

Denique dicat, benedicens ipsam aquam:

Sanctificetur et foecundetur Fons iste et ex eo renascentes. In nomine Pa † tris, et Fi † lii, et Spiritus † Sancti. ℟. Amen.

DECRETA AUTHENTICA ET MONITA.

(Molinen.)

Quaerebatur XVII. Utrum in collatione Baptismi interrogationes possint fieri vernacule, vel saltem vernacule iterari, postquam latine factae fuerint? Resp. *Negative* quoad utramque partem. S. R. C. 12. Sept. 1857.

(Ambianen.)

Quaerebatur I. An in administratione Baptismi interrogationes, quibus respondere debet Patrinus infantis, fieri possint vernacula lingua, quandocumque dictus Patrinus latinam ignorat: an saltem interrogatio sermone latino facta, ut fert Rituale, illico in vulgarem transferri possit? Resp. *Negative* ad utrumque juxta Decretum in Molinen. diei 12. Sept. 1857. ad xvii. S. R. C. 31. Aug. 1867.

Rev. Jacobus O'Kane in suo libro "Notes on the Rubrics of the Roman Ritual" „*Vere commendabile et accuratissimum opus*" juxta Decretum S. R. C. 14. Feb. 1868. habet sequentia: To proceed in strict conformity with this decision, no one should be admitted to act as sponsor who is not instructed to answer the interrogations in Latin; and this would, undoubtedly, cause great inconvenience and great dissatisfaction in places where the contrary practice has long prevailed. It is not impossible, however, that the decision may be intended to guard against the danger of introducing incorrect and unauthorized translations; and that when a sponsor, otherwise qualified, is unable to answer the interrogations in Latin, it may still be lawful for the priest to repeat them in the vernacular, *according to an approved translation*, such as is given in the rituals above referred to scilicet Ritualia Baltimorense et Anglicanum etc.

(Tarnovien.)

Quaerebatur VII. Utrum in administrando Sacramento Baptismi licite Sacerdos uti possit stola bicolori ex una parte violacea, et ex altera alba, juxta opportunitatem ex ea parte invertenda, quae colorem praeferat a Rituali praescriptum? Resp. *Affirmative* S. R. C. 6. Martii 1859.

(Sancti Marci.)


Quaerebatur XI. In Sabbato Sancto post Benedictionem Fontis Baptismatis in actu redeundi ad Altare, an liceat incipere Litanias

omnium Sanctorum cantandas ante Altare? *Episcopo non praesente servandum Missale.* S. R. C. 7. Sept. 1861.

(E Concilio Baltimor. provinc. I. decret. XIII.)

Quando diversa tum Sanctorum, tum familiae nomina in Baptismo infantibus tribuuntur, si Sacerdos censuerit expedire, in prima interrogatione omnia exprimat; in sequentibus tamen formis et precibus, nomina vulgo dicta Christiana tantum repetat. In libro autem baptismatum, omnia nomina recenseantur.

Vide etiam Monita in hoc nostro Rituali pag. 57.



ORDO MINISTRANDI SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ.

Sacerdos ad audiendam Confessionem vocatus, promptum, facilemque se praebeat, ac priusquam ad audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium recte sancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit.

In Ecclesia, non autem in privatis aedibus, Confessiones audiat, nisi ex causa rationabili; quae cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco praestare.

Habeat in Ecclesia sedem confessionalem, in qua sacras Confessiones excipiat, quae sedes patenti, conspicuo, et apto Ecclesiae loco posita, crate perforata inter poenitentem et Sacerdotem sit instructa.

Superpelliceo, et stola violacei coloris utatur, prout tempus, vel locorum feret consuetudo.

Poenitens, si opus fuerit, admoneatur, ut qua decet humilitate mentis et habitus accedat, et flexis genibus signo Crucis se muniat.

Mox Confessarius inquirat de illius statu (nisi aliter notus fuerit), et quampridem sit confessus, et an impositam poenitentiam adimpleverit; num rite atque integre alias confessus fuerit; num conscientiam suam, ut debet, prius diligenter discusserit.

Quod si poenitens aliqua censura, vel casu reservato sit ligatus, a quo ipse non possit absolvere, non absolvat, nisi prius obtenta facultate a Superiore.

Si vero Confessarius, pro personarum qualitate, cognoverit poenitentem ignorare christianae fidei rudimenta, si tempus suppetat, eum breviter instruat de articulis Fidei, et aliis ad salutem cognitu

necessariis, et ignorantiam ejus corripiat, illumque admoneat, ut ea postmodum diligentius addiscat.

Antequam poenitens peccata sua confiteatur, petat a Sacerdote benedictionem ; quam his vel similibus verbis impertiri poterit :

Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis, ut vere et humiliter confitearis peccata tua, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Tum poenitens Confessionem generalem latina, vel vulgari lingua dicat : scilicet *Confiteor etc.* vel saltem utatur his verbis : *Confiteor Deo omnipotenti, et tibi, pater.* Peccata sua exinde confiteatur, adjuvante, quotiescumque opus fuerit, Sacerdote, qui confitentem non reprehendet, nisi finita, ut dicetur, Confessione; neque interpellabit, nisi opus fuerit aliquid melius intelligere : proinde fiduciam ei praebeat, et humaniter suggerat, ut omnia peccata sua rite et integre confiteatur, remota stulta illa quorumdam verecundia, qua praepediti, suadente diabolo, peccata confiteri non audent.

Si poenitens numerum, et species, et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget.

Sed caveat, ne curiosis, aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, praesertim juniores utriusque sexus, vel alios, de eo, quod ignorant, imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur, indeque peccare discant.

Demum, audita Confessione, perpendens peccatorum, quae ille admisit, magnitudinem, ac multitudinem, pro eorum gravitate, ac poenitentis conditione, opportunas, correptiones ac monitiones prout opus esse viderit, paterna charitate adhibebit, et ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius instituendam inducet remediaque peccatorum tradet.

Postremo salutarem et convenientem satisfactionem, quantum spiritus et prudentia suggesserint, injungat, habita ratione status, conditionis, sexus, et aetatis, et item dispositionis poenitentium ; videatque, ne pro peccatis gravibus levissimas poenitentias imponat, ne si forte peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur. Id vero ante oculos habeat, ut satisfactio non sit tantum ad novae vitae remedium, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum castigationem.

Quare curet, quantum fieri potest, ut contrarias peccatis poenitentias injungat, veluti avaris eleemosynas, libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia. Rarius autem vel serius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus, utilissimum fuerit consulere, ut saepe, puta semel in mense, vel certis diebus solemnibus confiteantur, et si expediat, communicent.

Poenitentias pecuniarias sibi ipsis Confessarii non applicent, neque a poenitentibus quidquam tamquam ministerii sui praemium petant, vel accipiant.

Pro peccatis occultis, quamtumvis gravibus, manifestam poenitentiam non imponat.

Videat autem diligenter Sacerdos, quando, et quibus conferenda, vel deneganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces: quales sunt, qui nulla dant signa doloris, qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt: aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant: neque etiam eos absolvat, quorum peccata sunt Superioribus reservata.

Si vero quis confiteatur in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis et censuris quantumvis reservatis (cessat enim tunc omnis reservatio): sed prius, si potest, cui debet, satisfaciat: ac si periculum evaserit, et aliqua ratione superiori, a quo alias esset absolvendus, se sistere teneatur: cum primum poterit, coram eo se sistat, quidquid debet praestiturus.

Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela aegro deficiat, nutibus et signis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata poenitentis cognoscere: quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.

Meminerit porro Sacerdos, aegris non esse injungendam gravem, aut laboriosam poenitentiam; sed indicendam tantum illam, quam, si convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim juxta gravitatem morbi, aliqua oratione, aut levi satisfactione imposita, et acceptata, absolvantur, prout opus fuerit.

ABSOLUTIONIS FORMA.

Cum igitur poenitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius et ab eo acceptata salutari poenitentia, primo dicit:

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. Amen.

Deinde dextra versus poenitentem elevata, dicit: Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat; et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti, in quantum possum, et tu indiges. Deinde: Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Si poenitens sit laicus, omittitur verbum **suspensionis.**

Passio Domini nostri Jesu Christi, merita beatae Mariae Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae. Amen.

In confessionibus autem frequentioribus, et brevioribus omitti potest **Misereatur,** etc. et satis erit dicere: **Dominus noster Jesus Christus,** etc. ut supra usque ad illud: **Passio Domini nostri,** etc.

Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter dicere poterit:

Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

DE ABSOLUTIONE AB EXCOMMUNICATIONE in Foro Exteriori.

Si potestas absolvendi ab excommunicationis sententia Sacerdoti commissa fuerit a Superiore, et in mandato certa forma sit praescripta, illa omnino servanda est: si vero in mandato seu commissio-

ne dicitur: *In forma Ecclesiae consueta absolvat;* haec servanda sunt.

Primo, ut excommunicatus ei, ob cujus offensam in excommunicationem incurrit, prius, si potest, satisfaciat. Quod si tunc non possit, sufficientem cautionem praebeat, aut saltem, si eam praestare non potest, juret se, ut primum poterit, satisfacturum.

Secundo, si crimen, ob quod in excommunicationem incidit, sit grave, juramentum ab eo exigatur de parendo mandatis Ecclesiae, quae illi fient pro tali causa: ac praecipue ne deinceps delinquat contra illum Canonem, vel Decretum, contra quod faciendo censuram incurrit.

Denique hunc absolvendi ritum observabit.

Poenitentem coram se utroque genu flexo, in humero, si vir fuerit, usque ad camisiam exclusive denudato, virga aut funiculis sedens leviter percutit, dicendo totum Ps. **Miserere** (pag. 71.) cum *Gloria Patri. Deinde surgit, et aperto capite dicit,*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (*vel* ancillam tuam), Dñe.

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo (*vel* in ea).

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℟. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper, et parcere: suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum, quem excommunicationis sententia constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Mox sedet, et cooperto capite dicit.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat: et ego auctoritate ipsius, et sanctissimi Domini nostri Papae (*vel* Reverendissimi Episcopi *N.*, *vel talis* Superioris) mihi commissa, absolvo te a vinculo excommunicationis,

in quam incurristi (*vel* incurrisse declaratus es), propter tale factum (*vel* causam, etc.); et restituo te communioni et unitati fidelium, et sanctis Sacramentis Ecclesiae, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti.

Quod si Sacerdoti nulla sit a Superiore praescripta forma, nec sibi mandatum, ut in forma Ecclesiae communi, vel consueta absolvat; tunc nihilominus pro rei gravitate praedictam caeremoniam et Preces adhibeat; at vero, si res non fuerit adeo gravis, absolvere poterit, dicens:

Dominus noster Jesus Christus te absolvat: et ego auctoritate ipsius, et sanctissimi Domini nostri Papae (*si a Papa fuerit delegatus, vel* Reverendissimi Episcopi *N.*, *vel talis* Superioris) mihi concessa, absolvo te, etc. *ut supra.*

In foro autem interiori, Confessarius habens facultatem absolvendi excommunicatum, absolvat juxta formam communem supra praescriptam in absolutione Sacramentali.

RITUS ABSOLVENDI EXCOMMUNICATUM jam Mortuum.

Si quis excommunicatus ex hac vita decedens dederit signum contritionis, Ecclesiastica ne careat sepultura, sed Ecclesiae suffragiis, quatenus fieri potest, adjuvetur, absolvi potest hoc modo.

Si corpus nondum sepultum fuerit, verberetur, et absolvatur, ut infra; deinde absolutum, in loco sacro sepeliatur.

Si vero fuerit sepultum in loco profano, si commode fieri poterit, exhumabitur, et eodem modo verberabitur, et post absolutionem in loco sacro sepelietur; sed si commode exhumari non potest, locus sepulturae verberetur, postea absolvatur.

Quod si in loco sacro sit sepultus, non exhumabitur, sed verberabitur sepulchrum. Dum autem corpus, sive sepulturam verberat, Sacerdos dicat Antiphonam:

Exultabunt Domino ossa humiliata. Ps. **Miserere** (pag. 71).

Quo facto, absolvatur, dicendo:

Auctoritate mihi concessa, ego te absolvo a vinculo excommunicationis, quam incurristi (*vel* incurrisse declaratus es) propter tale factum, et restituo te communioni Fidelium, In nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Am.

Deinde dicatur Psalm. **De profundis** etc. (pag. 72.) et in fine.

℣. Requiem aeternam dona ei, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat ei.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. A porta inferi. ℟. Erue, Domine, animam ejus.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Da, quaesumus Domine, animae famuli tui, quem excommunicationis sententia constrinxerat, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et superni luminis claritatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟ Amen.

DE MODO ABSOLVENDI A SUSPENSIONE, vel ab Interdicto extra vel intra Sacramentalem Confessionem.

Si Sacerdoti sit commissa facultas absolvendi aliquem a suspensione, vel interdicto, quamvis nulla verba sint praecipue determinata, uti poterit hac formula:

Poenitens dicat: Confiteor Deo omnipotenti, etc.
Sacerdos: Misereatur tui, etc. Indulgentiam, etc.

Auctoritate mihi ab N. tradita, ego absolvo te a vinculo suspensionis (*vel* interdicti), quam (*vel* quod) propter tale factum (*vel* causam) incurristi (*seu* incurrisse declaratus es) In nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Si vero Confessario, sive in foro conscientiae, sive extra, data est potestas dispensandi super irregularitate, tunc postquam absolverit a peccatis, addat consequenter:

Et eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate (*vel* irregularitatibus, *si sint plures*), in quam (*vel* in quas) ob talem causam (*vel* tales causas, *eas exprimendo*) incurristi: et habilem reddo, et restituo te executioni Ordinum, et officiorum tuorum. In nomine Patris, † et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Si nullum habet Ordinem, dicatur:

Habilem reddo te ad omnes Ordines suscipiendos, *vel etiam ad alia, juxta tenorem mandati.*

Quod si necesse sit titulum beneficii restituere, et fructus male perceptos condonare, subjungat:

Et restituo tibi titulum (*seu* titulos) Beneficii (*seu* Beneficiorum), et condono tibi fructus male perceptos. In nomine Patris, † et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Advertat autem Sacerdos, ne ullo modo in iis facultatis suae terminos excedat.

FORMAE COMMUTATIONIS ET DISPENSATIONIS VOTORUM ET IMPEDIMENTOrum Matrimonii.

Praenotanda: 1. Commutatio votorum saltem a confessariis ad commutandum delegatis fieri debet in confessionis Sacramento.

2. Non raro occurrunt circa vota et impedimenta Matrimonii casus, qui confessariis quoad formam relaxationis pariunt difficultates. — Quare, licet determinatae formae non sint praescriptae, pro majori tamen Confessariorum securitate et poenitentium consolatione ex *P. Navar. Manuduct. ad praxim executionis litterarum Sacrae Poenitentiariae* et aliis primae notae Auctoribus adjicienda visa sunt, quae sequuntur:

1. FORMULA DILATIONIS SIMPLICIS Voti Religionis.

Qui simpliciter voverunt ingredi religionem, votum autem hujusmodi ob aliquod impedimentum adimplere nequeunt, dilationem petere solent a Confessario, qui hoc modo potest procedere:

Post consuetam absolutionem sacramentalem a censuris et peccatis subjungat:

Insuper tibi dilationem ad implendum votum religionis, quod emisisti, concedo, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Passio Domini nostri etc.

2. FORMULA ABSOLUTIONIS A TRANSgressione Simplicis Voti Religionis.

Quando quis confitetur, se emisso simplici voto ingrediendi religionem, Matrimonium in facie Ecclesiae contraxisse et successive

consummavisse. Confessarius facultate ab Ordinario accepta hoc modo potest procedere :

Post consuetam absolutionem sacramentalem a censuris et peccatis dicat:

Deinde te non obstante voto religionis, quod alias emisisti, in Matrimonio remanere et debitum conjugale exigere et reddere posse declaro, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Passio Domini nostri etc.

3. FORMULA ABSOLUTIONIS A TRANSgressione Voti Castitatis.

Quando quis confitetur, se emisso simplici voto castitatis Matrimonium contraxisse et consummavisse, Confessarius, facultate ab Ordinario accepta, cum ipso dispensare potest ad petendum debitum conjugale hoc modo :

Peracta Confessione et data absolutione a censuris et peccatis addat :

Item te non obstante voto castitatis, quod emisisti et transgressus fuisti, in dicto Matrimonio remanere et debitum conjugale reddere posse et debere declaro, et ut idem debitum etiam exigere licite possis et valeas, tecum dispenso. In nomine Patris † etc. Passio Domini nostri etc.

4. FORMULA COMMUTATIONIS VOTI Simplicis religionis.

Post solitam absolutionem a censuris et peccatis Confessarius dicat:

Et auctoritate Apostolica (*vel* Archiepiscopali, *vel* Episcopali, *prout facultas dispensandi obtenta est a Sacra Poenitentiaria, vel ab Ordinario ; quod valet etiam de sequentibus formulis,*) mihi specialiter delegata, ego tibi votum religionis, quod emisisti, in opera pietatis, quae tibi praescripsi,*) dispensando ad effectum licite

*) Qui obtinuit facultatem commutandi votum ingrediendi religionem, debet primo in locum obligationis voti imponere poenitenti onus sacramentalis Confessionis quolibet mense faciendae; praeterea debet ei imponere aliqua poenitentiae opera, quae perpetuo durent v. g. jejunium feriae sextae aut abstinentiam a carnibus aliqua die per hebdomadam etc. Inter quae opera sint aliqua religionis, quam vovit, seu ingressurus fuisset, quae quotidie facere teneatur, ut ea adimplens memor sit obligationis, qua hujusmodi voto abstringebatur.

contrahendi Matrimonium (*sive* ad effectum remanendi in saeculo in vita caelibe) commuto. In nomine Patris † etc. Passio Domini nostri etc.

5. FORMULA COMMUTATIONIS VOTI Castitatis.

Post solitam absolutionem a censuris et peccatis confessarius dicat:

Et auctoritate Apostolica (*vel* Archiepiscopale *vel* Episcapali) mihi specialiter delegata tibi votum castitatis, quod emisisti, ad effectum, ut matrimonium contrahere et debitum coniugale reddere et exigere licite possis et valeas, in opera tibi praescripta dispensando commuto. In nomine Patris † etc. Passio Domini nostri etc.

6. FORMULA COMMUTATIONIS VOTI Simplicis castitatis et religionis.

Absolutioni consuetae subjungatur:

Item auctoritate Apostolica (*vel* Archiepiscopali *vel* Episcopali) mihi specialiter delegata tibi vota religionis et castitatis, quae emisisti, ad effectum, ut Matrimonium legitime contrahere et in eo debitum coniugale reddere et exigere licite possis et valeas, in opera pietatis, quae tibi praescripsi, dispensando commuto. In nomine Patris † etc. Passio Domini nostri etc.

Commutato voto materia subrogata non amplius subjacet reservationi, sed quilibet confessarius potest deinceps secundo aut tertio, si opus fuerit, huiusmodi opera in alia commutare; illud tamen fieri utique non debet, nisi cum multa prudentia et ex gravi causa.

Confessarii, ut in votis, quae Summo Pontifici *non sunt reservata*, possint dispensare, vel eadem commutare, facultatem petere debent ab Ordinario, qua accepta, nisi habeant speciale privilegium, non possunt uti nisi in foro sacramentali; nam Benedictus XIV. vetuit votorum commutationes fieri extra actum sacramentalis Confessionis (cfr. *Lacroix tom. II. pag.* 361.); nulla formula praescripta est).

Vota Sedi Apostolicae reservata dispensandi vel commutandi facultate a Sacra Poenitentiaria accepta, Confessarius nonnisi in actu sacramentalis Confessionis, utendo formula praescripta relaxare eadem potest.

7. FORMULA COMMUTATIONIS VOTORUM Peregrinationis Sedi Apostolicae Reservatorum.

Post solitam absolutionem a censuris et peccatis dicat Confessarius:

Item auctoritate Apostolica (*vel* Archiepiscopali *vel* Episcopali) mihi specialiter delegata tibi votum peregrinationis, quod emisisti, in peregrinationem, eleemosynam, seu alia pietatis opera, quae tibi praescripsi, dispensando commuto. In nomine Patris † etc. Passio Domini nostri etc.

8. FORMULA DISPENSANDI SUPER IMPEDImento occulto affinitatis provenienti ex Copula Illicita—ad contrahendum.

Absolutioni a censuris et peccatis in forma solita datae addatur:

Et insuper auctoritate Apostolica (*vel* Archiepiscopali *vel* Episcopali) mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento primi seu secundi, seu primi et secundi, seu secundi, ex copula illicita a te habita cum matre (*vel* sorore etc.) mulieris, cum qua contrahere intendis, proveniente; ut praefato impedimento non obstante Matrimonium cum dicta muliere publice, servata forma Concilii Tridentini contrahere, consummare ac in eo remanere licite possis et valeas. In nomine Patris † etc.

Insuper eadem auctoritate prolem, quam ex Matrimonio susceperis, legitimam fore nuntio et declaro. In nomine Patris † etc. Passio Domini nostri etc.

9. FORMULA DISPENSATIONIS SUPER IMpedimento primi affinitatis gradus ex Copula Illicita proveniente ad remanendum.

Post solitam absolutionem a censuris et peccatis dicat Confessarius:

Et insuper auctoritate Apostolica (*vel* Archiepiscopali *vel* Episcopali) mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento primi affinitatis gradus, ex copula illicita, quam cum matre (vel sorore) tuae putatae conjugis antea habuisti, ut illo non abstante, renovato consen-

su cum praefata conjuge, Matrimonium cum illa contrahere, consummare et in eo remanere licite valeas et possis. In nomine Patris † etc.

Et pariter eadem auctoritate prolem, si quam suscepisti et susceperis, legitimam fore decerno et declaro. In nomine Patris † etc. Passio Domini nostri etc.

10. FORMULA DISPENSATIONIS EORUM, qui petentes dispensationem a Dataria super impedimento publico, tacuerunt impedimentum occultum—ad contrahendum.

Post absolutionem a censuris et peccatis in forma solita datam dicat Confessarius:

Insuper auctoritate Apostolica ... mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento ex incestuosa copula, quam cum tua consanguinea (seu affine) habuisti, proveniente, ut praefato impedimento non obstante, Matrimonium cum illa ad formam litterarum dispensationis, quam a Sede Apostolica obtinuisti, contrahere licite possis et valeas. In nomine Patris † etc.

11. FORMULA ABSOLUTIONIS ET DISPENsationis eorum, qui vigore dispensationis a Dataria obreptitie vel subreptitie obtentae super publico Impedimento Matrimonium invalide contraxerunt.

Post absolutionem a censuris et peccatis dicat Confessarius:

Insuper auctoritate Apostolica...mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento ex incestuosa cognitione in litteris dispensationis, cujus vigore contraxisti, non expressa, proveniente, ut denuo Matrimonium cum illa contrahere renovato consensu, et consummare ac in eo remanere licite possis ac valeas. In nomine Patris † etc.

Pariter eadem auctoritate prolem, si quam susceperis et suscepturus sis, legitimam esse et fore decerno et declaro. In nomine Patris † etc.

12. FORMULA DISPENSATIONIS PRO CONsanguineis vel Affinibus, qui ignorantes gradum Prohibitum, Matrimonium contraxerunt Publicationibus in ecclesia factis.

Post datam in forma consueta absolutionem a censuris et peccatis dicat Confessarius :

Insuper auctoritate Apostolica...mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento tertii gradus affinitatis, ut illo non obstante cum putata conjuge, praevia renovatione prioris consensus, Matrimonium secrete inter te et ipsam contrahere et consummare ac debitum conjugale exigere et reddere licite valeas. In nomine Patris † etc.

Et pariter eadem auctoritate prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam, legitimam esse et fore decerno et declaro. In nomine Patris † etc.

13. FORMULA DISPENSANDI CUM IIS, QUI praecedente adulterio et fide data Matrimonium contrahere desiderant.

Absolutione a censuris et peccatis in forma solita data dicat Confessarius:

Insuper auctoritate Apostolica .... mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento criminis ex adulterio et fide data proveniente, ut illo non obstante cum muliere correa Matrimonium publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere et consummare, debitumque conjugale exigere et reddere licite possis et valeas. In nomine Patris † etc.

Pariter eadem auctoritate prolem susceptam (non tamen in adulterio conceptam) et suscipiendam legitimam fore nuntio et declaro. In nomine Patris † etc.

14. FORMULA DISPENSANDI CUM IIS, QUI cum occulto impedimento criminis Matrimonium contraxerunt.

Post absolutionem a censuris et peccatis in forma solita datam dicat Confessarius :

Et insuper auctoritate Apostolica .... mihi specialiter

delegata dispenso tecum super impedimento criminis, ex adulterio et fide data proveniente, ut illo non obstante Matrimonium cum tua putata conjuge contrahere, consummare ac debitum conjugale exigere et reddere valeas et possis. In nomine Patris † etc.

Pariter eadem auctoritate prolem, si quam susceperis, (non tamen ex adulterio conceptam) et quam suscepturus es, legitimam esse et fore decerno et declaro. In nomine Patris † etc.

15. FORMULA DISPENSATIONIS IN RADICE.

Post absolutionem a censuris et peccatis in forma solita datam dicat Confessarius:

Ego potestate Apostolica mihi specialiter et expresse demandata, Matrimonium a te N. N. cum N. N. in consensu adhuc permanente nulliter contractum, in radice ejus sano et consolido, prolemque susceptam et suscipiendam legitimam declaro in nomine Patris † etc. Passio Dñi etc.

16. MODUS RESTITUENDI JUS PETENDI Debitum.

a) *Si amissum fuit per affinitatem illicitam.*

Post absolutionem a censuris et peccatis in forma solita datam dicat Confessarius:

Et insuper auctoritate Apostolica...mihi specialiter delegata, dispenso tecum, ut non obstante affinitate, quam contraxisti cum tua uxore ex illicita copula a te habita cum ejus sorore (vel matre), debitum conjugale a tua uxore etiam exigere licite possis et valeas. In nomine Patris † etc.

Et pariter eadem auctoritate declaro, te non obstante praefata affinitate superveniente, in Matrimonio cum tua uxore remanere illique debitum conjugale reddere posse et debere. In nomine Patris † etc.

b) *Si amissum fuit per votum castitatis.*

Peracta Confessione et data absolutione a censuris et peccatis addat confessarius:

Item auctoritate Apostolica .... mihi specialiter dele-

gata tecum, ut non obstante voto castitatis, quod emisisti, in Matrimonio remanere et debitum coniugale licite exigere possis, dispenso. In nomine Patris † etc.

c) Si amissum fuit per cognationem spiritualem.

Peracta Confessione et data absolutione a censuris et peccatis subjungat Confessarius:

Item auctoritate Apostolica...mihi specialiter delegata restituo tibi jus petendi debitum conjugale, quod amiseras per cognationem spiritualem. In nomine Patris † etc.

Vide etiam de Poenitentiae Sacramento pag. 67. et sequent.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE.

(Vide pag. 59. et sequent.)

ORDO ADMINISTRANDI SACRAM COMMUNIONEM extra Missam vide pag. 62.

DE COMMUNIONE INFIRMORUM.

Viaticum sacratissimi Corporis Domini nostri Jesu Christi summo studio ac diligentia aegrotantibus, opportuno tempore, procurandum est, ne forte contingat illos tanto bono, Parochi incuria, privatos decedere.

Cavendum autem in primis est, ne ad indignos cum aliorum scandalo deferatur, quales sunt publici usurarii, concubinarii, notorie criminosi, nominatim excommunicati, aut denuntiati, nisi sese prius sacra Confessione purgaverint, et publicae offensioni, prout de jure, satisfecerint.

Hortetur Parochus infirmum, ut sacram Communionem sumat, etiam si graviter non aegrotet, aut mortis periculum non immineat, maxime si Festi alicujus celebritas id suadeat, neque ipse illam ministrare recusabit.

Pro Viatico autem ministrabit, cum probabile est, quod eam amplius sumere non poterit. Quod si aeger, sumpto Viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaserit, et communicare voluerit, ejus pio desiderio Parochus non deerit.

Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis; id tamen diligenter curandum est, ne iis tribuatur, a quibus ob phrenesim, sive ob assiduam tussim, aliumve similem morbum, aliqua indecentia cum injuria tanti Sacramenti timeri potest. Ceteris autem infirmis, qui ob devotionem in aegritudinem communicant, danda

est Eucharistia ante omnem cibum et potum, non aliter ac ceteris Fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinae ante aliquid sumere licet.

Sed alicui ad adorandum solum, seu devotionis, seu cujusvis rei praetextu ad ostendendum non deferatur.

Deferri autem debet hoc sanctum Sacramentum ab Ecclesia ad privatas aegrotantium domos decenti habitu, superposito mundo velamine, manifeste atque honorifice, ante pectus cum omni reverentia et timore, semper lumine praecedente.

Parochus igitur processurus ad communicandum infirmum, aliquot campanae ictibus jubeat convocari Parochianos, seu Confraternitatem Ss. Sacramenti, ubi fuerit instituta, seu alios pios Christi fideles, qui sacram Eucharistiam cum cereis, seu intorticiis comitentur, et umbellam, seu baldachinum, ubi haberi potest, deferant.

Praemoneat, ut aegri cubiculum mundetur, et in eo paretur mensa linteo mundo cooperta, in quo Ss. Sacramentum decenter deponatur. Parentur luminaria, ac duo vascula, alterum cum vino, alterum cum aqua. Praeterea linteum mundum ante pectus communicandi ponatur, atque alia ad ornatum loci, pro cujusque facultate.

Ubi vero convenerint, qui Eucharistiam comitaturi sunt; Sacerdos indutus superpelliceo et stola, et, si haberi potest, pluviali albi coloris, Acolythis, seu Clericis, aut etiam Presbyteris, si locus feret, superpelliceo pariter indutis comitatus, decenter, et de more acceptas aliquot Particulas consecratas, vel unam tantum, si longius, aut difficilius iter sit faciendum, ponat in pyxide, seu parva custodia, quam proprio suo operculo cooperit; et velum sericum superimponit: ipse vero Sacerdos, imposito sibi prius ab utroque humero oblongo velo decenti, utraque manu accipiat vas cum Sacramento, et deinde umbellam, seu baldachinum subeat, nudo capite processurus.

Praecedat semper Acolythus, vel alius minister deferens laternam (noctu autem hoc Sacramentum deferri non debet, nisi necessitas urgeat); sequantur duo Clerici, vel qui illorum vices suppleant, quorum alter aquam benedictam cum aspersorio, et bursam cum corporali, quod supponendum erit vasculo Ss. Sacramenti super mensa in cubiculo infirmi, et cum linteolo purificatorio ad digitos Sacerdotis abstergendos; alter hunc librum Ritualem deferat, et campanulam jugiter pulset. Succedant deinde deferentes intorticia. Postremo Sacerdos Sacramentum gestans elevatum ante pectus sub umbella, dicens Psalmum *Miserere*, et alios Psalmos et Cantica.

Quod si longius, aut difficilius iter obeundum sit, et fortasse etiam equitandum, necesse erit vas, in quo Sacramentum defertur, bursa decenter ornata, et ad collum appensa, apte includere, et ita ad pectus alligare, atque adstringere, ut neque decidere, neque pyxide excuti Sacramentum queat.

Ingrediens vero locum, ubi jacet infirmus dicat:

℣. Pax huic domui.

℞. Et omnibus habitantibus in ea.

Tum depositum Sacramentum super mensa, supposito corporali, genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus: et mox accepta Aqua benedicta, aspergit infirmum et cubiculum, dicens:

Antiph.: Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor: *et primum versum Psalmi,* Miserere, *cum* Gloria Patri, etc. Sicut erat, etc.

Deinde repetitur Antiphona. Asperges me, etc.

Postea ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: et mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

His dictis, accedat ad infirmum, ut cognoscat, num sit bene dispositus ad accipiendum sacrum Viaticum, et utrum velit aliqua peccata confiteri; et illum audiat, atque absolvat: quamvis prius deberet esse rite confessus, nisi necessitas aliter urgeat.

Postea facta de more Confessione generali, sive ab infirmo, sive ejus nomine ab alio, Sacerdos dicit:

Misereatur, etc. Indulgentiam, etc.

Deinde facta genuflexione, accipit Sacramentum de vasculo, atque illud elevans ostendit infirmo dicens:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, *et more solito ter dicat:* Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Et infirmus simul cum Sacerdote dicat eadem verba, saltem semel,

submissa voce. Tum Sacerdos dans infirmo Eucharistiam, dicat:

Accipe, frater (*vel* soror) Viaticum Corporis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, et perducat in vitam aeternam. Amen.

Si vero Communio non datur per modum Viatici, dicat more ordinario:

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen.

Quod si mors immineat, et periculum sit in mora, tunc dicto *Misereatur*, *etc.*, praedictis precibus omnibus vel ex parte omissis, ei statim Viaticum praebeatur.

Postea Sacerdos abluat digitos, nihil dicens: et infirmo detur ablutio. Deinde dicat:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro (*vel* sorori nostrae) sacrosanctum Corpus Domini nostri Jesu Christi Filii tui, tam corpori, quam animae prosit ad remedium sempiternum. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

His expletis, si altera particula Sacramenti superfuerit (superesse autem semper debet, praeterquam in casu jam dicto), genuflectit, surgit, et accipiens vas cum Sacramento, facit cum eo signum Crucis super infirmum, nihil dicens, et reverenter illud deferens, ordine quo venerat, revertitur ad Ecclesiam dicendo Psalm. *Laudate Dominum de coelis, etc.* et alios Psalmos, et Hymnos, prout tempus feret.

Cum pervenerit ad Ecclesiam, ponit Sacramentum super Altare, adorat, deinde dicit:

℣. Panem de coelo praestitisti ei.

℟. Omne delectamentum in se habentem.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti; tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde annuntiat Indulgentias a Summis Pontificibus concessas Sanctissimum Sacramentum comitantibus.

Postea cum Sacramento in pyxide velo cooperta faciat signum Crucis super populum, nihil dicens. Postremo illud in loco suo reponat.

Quod si ob difficultatem, aut longitudinem itineris, vel quia ea qua decet veneratione, Sacramentum ad Ecclesiam commode reportari non potest, sumpta fuerit una tantum Particula consecrata, ut dictum est, tunc ea infirmo administrata, Sacerdos, praedictis precibus recitatis, cum manu benedicit, et una cum aliis privato habitu, extinctis luminibus, umbella demissa, latente pyxide, ad Ecclesiam, vel domum quisque suam revertatur.

Juxta probabiliorem sententiam: in eodem mortis periculo, quoties administratur Communio Infirmo sive jejuno sive non jejuno, toties datur per formulam *Accipe, frater* (*vel soror*) *Viaticum etc*: elapso autem mortis periculo Communio administratur Infirmo sed jejuno per formulam ordinarim: *Corpus Domini nostri Jesu Christi etc.* Damnati ad mortem sive sint jejuni sive non jejuni accipiunt Communionem ultimam per formulam: *Accipe, frater* (*vel soror*) *Viaticum* etc.

S. R. C. 14. Feb. 1868, reprobavit praxim ponendi Pyxidem (pro Infirmis) in sacculo vestium Sacerdotis, etiamsi hic sacculus ad nil aliud inserviat: *In hoc casu* (ait S. R. C.) *adamussim servetur* quod praescribit Rubrica. (Vide superius pag. 228.)

(Romana.)

Quum Rubricae nec Missalis nec Ritualis determinent numerum genuflexionum, quae a Sacerdote fieri debent, dum ad Altare revertitur cum Sanctissimo Sacramento post distributam Fidelibus Sacram

Communionem, alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris de sententia desuper requisitus, post accuratum omnium examen, censuit regulam in casu desumendam a Rubricis determinantibus duplicem genuflexionem, antequam Sacerdos Communionem ipsam administret, nimirum primam, antequam extrahat a Tabernaculo Pyxidem, alteram vero post discoopertam super Altare eamdem Pyxidem. Quum enim agatur de Cultu debito Sanctissimae Eucharistiae congruum profecto est, ut eodem prorsus modo iste Cultus praestetur a Sacerdote ad Altare redeunte, nimirum genuflectendo primo antequam Pyxidem cooperiat, et iterum postquam illam in Tabernaculo recondidit, antequam Tabernaculi ostiolum claudat.

Hanc porro sententiam quum subscriptus Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius retulerit in Ordinario Coetu Sacrorum Rituum subsignata die ad Vaticanum coadunato; Emi. et Rmi. Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt. *Placere seu iuxta votum Magistri Coeremoniarum*; ac proinde decreverunt a Sacerdote redeunte ad Altare post Fidelium Communionem genuflectendum, ante quam cooperiat Sacram Pyxidem, et iterum genuflectendum, antequam, Pyxide in Tabernaculo reposita, ipsius Tabernaculi ostiolum claudat. Atque ita ubique servandum mandarunt. Die 23. Decembris 1862.

(Tunquini Occidentalis.)

Dubium I. Diaconus, qui ex mandato sui Vicarii Apostolici defert sacrum Viaticum infirmis, potest ne facere aspersionem aquae benedictae, dicere *misereatur*, *indulgentiam*, *signare infirmum*, vel *semetipsum*, dicere *Dominus vobiscum cum Oratione, et benedicere cum Sanctissimo Sacramento infirmum et assistentes?* Secus quid faciendum?

Resp. Deficiente presbytero et Vicarii Apostolici concurrente licentia, affirmative in omnibus. Die 14. Aug. 1858.

(Florentina.)

Quaerebatur I. An tempore Sacrosancti Missae Sacrificii in administratione Viatici praesertim in Xenodochiis liceat ab Altare recedere usque ad aegrotorum lectum recitando interim Psalmum *Miserere*, ut fieri solet extra Missam? *Resp.* „Negative quoad Psalm. Miserere recitandum. Insuper animadvertendum, quod, si Celebrans pro Viatici administratione intra Missam Altare e conspectu suo amittat, hanc administrationem non licere." S. R. C. 19. Dec. 1829.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

Extremae Unctionis Sacramentum a Christo Domino institutum, tamquam coelestis medicina, non animae solum, sed etiam corpori salutaris, omni studio ac diligentia, periculose aegrotantibus adhibendum est, et eo quidem tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens et ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem, ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur Oleo.

In quo illud in primis ex generali Ecclesiae consuetudine observandum est, ut si tempus et infirmi conditio permittat, ante Extremam Unctionem, Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramenta infirmis praebeantur.

Habeat igitur Parochus loco nitido et decenter ornato, in vase argenteo, seu stanneo diligenter custoditum sacrum Oleum infirmorum, quod in singulis annis Feria V. in Coena Domini ab Episcopo benedictum, veteri combusto, renovandum est. Id tamen, si forte infra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate superinfuso, reparari potest.

Oleum porro ipsum vel per se solum, vel in bombacio seu re simili servari potest; sed ad evitandum effusionis periculum multo commodius ad infirmos defertur in bombacio.

Debet autem hoc Sacramentum infirmis praeberi, qui cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur; et iis, qui prae senio deficiunt, et in diem videntur morituri etiam sine alia infirmitate.

Infirmis autem, qui, dum sana mente, et integris sensibus essent, illud petierint, seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus praebeatur.

Sed si infirmus, dum phrenesi, aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino.

Impoenitentibus vero, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis, et nondum baptizatis, penitus denegetur.

Non ministretur etiam proelium inituris, aut navigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula subituris, aut reis ultimo supplicio mox afficiendis, aut pueris rationis usum non habentibus.

Si quis autem laborat in extremis, et periculum immineat ne decedat antequam finiantur Unctiones, cito ungatur, incipiendo ab eo loco: *Per istam sanctam Unctionem, etc.* ut infra: deinde, si adhuc supervivat, dicantur Orationes praetermissae suo loco positae.

Si vero dum inungitur, infirmus decedat, Presbyter ultra non procedat, et praedictas orationes omittat.

Quod si dubitet an vivat adhuc Unctionem prosequatur, sub conditione pronunciando formam, dicens: *Si vivis, per istam sanctam Unctionem, etc.* ut infra.

Si autem acciderit, infirmum post peccatorum suorum confessio-

nem ad exitum vitae properare, tunc cum sacro Viatico poterit et Oleum infirmorum ad eum deferri per ipsum Sacerdotem, qui defert sacram Eucharistiam. Si tamen alius Presbyter, vel Diaconus, qui Oleum sanctum deferat, haberi possit, per ipsum deferatur, qui superpelliceo indutus, cum Oleo sacro occulte delato sequatur Sacerdotem Viaticum portantem; et postquam infirmus Viaticum sumpserit; inungatur a Sacerdote.

In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut si cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis inciderit.

Quinque vero corporis partes praecipue ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit, nempe oculi, aures, nares, os, et manus: attamen pedes etiam et renes ungendi sunt; sed renum unctio in mulieribus, honestatis gratia, semper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest. Sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet.

Manus vero, quae reliquis infirmis interius ungi debent, Presbyteris exterius ungantur.

Dum oculos, aures, et alia corporis membra, quae paria sunt, Sacerdos ungit, caveat, ne alterum ipsorum inungendo, Sacramenti formam prius absolvat, quam ambo hujusmodi paria membra perunxerit.

Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma.

Hujus autem Sacramenti forma, qua Sancta Romana Ecclesia utitur, solemnis illa precatio est, quam Sacerdos ad singulas unctiones adhibet, cum ait:

Per istam sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, sive per auditum, etc. deliquisti.

ORDO MINISTRANDI SACRAMENTUM EXTREMÆ UNCTIONIS.

Sacerdos igitur Sacramentum ministraturus, quatenus fieri poterit, parari curet apud infirmum mensam mappa candida coopertam, itemque vas, in quo sit bombacium, seu quid simile in septem globulos distinctum, ad abstergendas partes inunctas; medullam panis ad detergendos digitos; et aquam ad abluendas Sacerdotis manus; ceream item candelam, quae deinde accensa ipsi ungenti lumen praebeat. Denique operam dabit, ut quanta poterit munditia ac nitore hoc Sacramentum ministretur.

Deinde convocatis Clericis seu ministris, vel saltem uno Clerico, qui Crucem sine hasta, Aquam benedictam cum aspersorio, et librum Ritualem deferat, ipse Parochus decenter accipit vas sacri Olei infirmorum sacculo serico violacei coloris inclusum, illudque caute deferat, ne effundi possit. Quod si longius iter peragendum, aut etiam

equitandum sit, vel alias adsit periculum effusionis, vas olei sacculo, aut bursa inclusum, ut dictum est, ad collum appendat, ut commodius et securius perferat. Procedat autem sine sonitu campanulae.

Cum perventum fuerit ad locum, ubi jacet infirmus, Sacerdos intrans cubiculum, dicit:

Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde deposito Oleo super mensam, superpelliceo, stolaque violacea indutus, aegroto Crucem pie deosculandam porrigit; mox in modum Crucis cum Aqua benedicta, et cubiculum, et circumstantes aspergit, dicens Antiphonam: **Asperges me, Domine, etc.** Quod si aegrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Deinde piis verbis illum consoletur, et de hujus Sacramenti vi atque efficacia, si tempus ferat, breviter admoneat; et quantum opus sit, ejus animam confirmet, et in spem erigat vitae aeternae.

Postea dicat ℣. Adjutorium nostrum in nomine Dñi.

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Introeat, Domine Jesu Christe, domum hanc sub nostrae humilitatis ingressu, aeterna felicitas, divina prosperitas, serena laetitia, caritas fructuosa, sanitas sempiterna: effugiat ex hoc loco accessus daemonum: adsint Angeli pacis, domumque hanc deserat omnis maligna discordia. Magnifica, Domine, super nos nomen sanctum tuum; et benedic ✝ nostrae conversationi: sanctifica nostrae humilitatis ingressum, qui sanctus et qui pius es, et permanes cum Patre et Spiritu Sancto in saecula saeculorum. A.

Oremus, et deprecemur Dominum nostrum Jesum Christum, ut benedicendo benedicat ✝ hoc tabernaculum, et omnes habitantes in eo, et det eis Angelum bonum custodem, et faciat eos sibi servire ad considerandum mirabilia de lege sua: avertat ab eis omnes contrarias potes-

tates: eripiat eos ab omni formidine, et ab omni perturbatione, ac sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

OREMUS.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens aeterne Deus: et mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quae Orationes, si tempus non patiatur, ex parte, vel in totum poterunt omitti. Tum de more facta Confessione generali, latino, vel vulgari sermone, Sacerdos dicat: **Misereatur,** &c. **Indulgentiam,** &c.

Antequam Parochus incipiat ungere infirmum, moneat adstantes, ut pro illo orent, et ubi commodum fuerit, pro loco et tempore, et adstantium numero, vel qualitate, recitent Septem Psalmos Poenitentiales cum Litaniis, vel alias Preces, dum ipse Unctionis Sacramentum administrat. Mox dicat:

In nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti, extinguatur in te omnis virtus diaboli per impositionem manuum nostrarum, et per invocationem omnium Sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium simul Sanctorum. Amen.

Deinde intincto pollice in Oleo sancto, in modum Crucis ungit infirmum in partibus hic subscriptis, aptando proprio loco verba formae in hunc modum:

Ad Oculos.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti. Amen.

Minister vero, si est in Sacris, vel ipsemet Sacerdos, post quam-

libet Unctionem, tergat loca inuncta novo globulo bombacii, vel rei similis, eumque in vase mundo reponat, et ad Ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque projiciat in Sacrarium.

Ad Aures.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per auditum deliquisti. Amen.

Ad Nares.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per odoratum deliquisti. Amen.

Ad Os, compressis labiis.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per gustum et locutionem deliquisti. Amen.

Ad Manus.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per tactum deliquisti. Amen :

Et adverte, quod Sacerdotibus, ut dictum est, manus non inunguntur interius, sed exterius.

Ad Pedes.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per gressum deliquisti. Amen.

Ad Lumbos, sive Renes.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per lumborum delectationem deliquisti. Amen.

Haec autem unctio ad lumbos, ut dictum est, omittitur semper in

foeminis, et etiam in viris, qui ob imfirmitatem vix, aut sine periculo moveri non possunt. — Quibus omnibus peractis, Sacerdos dicat:

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac servum tuum.
℟. Deus meus, sperantem in te.
℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Deus, qui per Apostolum tuum Jacobum locutus es: Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei: cura, quaesumus, Redemptor noster, gratia Sancti Spiritus languores istius infirmi, ejusque sana vulnera, et dimitte peccata, atque dolores cunctos mentis et corporis ab eo expelle, plenamque interius et exterius sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiae tuae restitutus, ad pristina reparetur officia. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis, et regnas Deus in saecula saeculorum.

OREMUS.

Respice, quaesumus, Domine, famulum tuum N. in infirmitate sui corporis fatiscentem, et animam refove, quam creasti: ut castigationibus emendatus, se tua sentiat

medicina salvatum. Per Christum Dñum nostrum. Am.

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui benedictionis tuae gratiam aegris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis: ad invocationem tui Nominis benignus assiste, ut famulum tuum ab aegritudine liberatum, et sanitate donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiae tuae sanctae, cum omni desiderata prosperitate, restituas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad extremum, pro personae qualitate, salutaria monita breviter praebere poterit, quibus infirmus ad moriendum in Domino confirmetur, et ad fugandas daemonum tentationes roboretur.

Denique Aquam benedictam, et Crucem, nisi aliam habeat, coram eo relinquat, ut illam frequenter aspiciat, et pro sua devotione osculetur et amplectatur.

Admoneat etiam domesticos, et ministros infirmi, ut si morbus ingravescat, vel infirmus incipiat agonizare, statim ipsum Parochum accersant, ut morientem adjuvet, ejusque animam Deo commendet: sed si mors immineat, priusquam discedat, Sacerdos animam Deo rite commendabit.

Quae autem pertinent ad visitationem, curamque infirmorum, et ad juvandos morientes, ad Commendationem Animae, et ad Exequias, infra suis locis praescribuntur.

———o———

Vide Monita in hoc nostro Rituali pag. 74: quibus haec addi possunt.

Formula usurpanda *juxta Sanctum Alphonsum Ligorium* in casu necessitatis, sub conditione:

Cum una unctione in aliquo sensu (consultius in capite), ut ait Benedictus XIV. de Synodo dioeces. lib. 8. cap. 3. 5.; et quidem in fronte juxta Baruffaldi, Falise et Branidmarte Parroco Romano. Sed si infirmus supervivat repetendae sunt sub conditione omnes unctiones superius positae cum debitis formis.

Per istam sanctam Unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus visum, auditum, gustum, odoratum, et tactum. Praemittendo verbum *deliquisti*, quia si *deliquisti* proferatur in fine, et interim aeger moriatur, nullum est

Sacramentum. *Amen* in fine formarum dicendum est ab ipso Sacerdote, cum non sit Responsorium.

Verba „*per impositionem manuum nostrarum*" juxta Baruffaldi verificantur per simplex signum Crucis, quod tripliciter fit super aegrum ad illa verba. *In nomine Patris* †, *et Filii* †, *et Spiritus* † *Sancti, extinguatur etc.*—Signum Crucis in Unctione ipsa est de praecepto, sed non de essentia Sacramenti.

Cum organum sensus est duplex, ambo unguuntur et signum Crucis fit in utroque organo, uti in oculis, manibus, pedibus, incipiendo a dextro organo. Juxta communiorem sententiam ad Nares duplex fit Unctio.

O'Kane in suo libro "Notes on the Roman Ritual" dicit ad Lumbos una unctio est facienda, quia S. Carolus Borom. in suis Instructionibus unam ponit Crucem ad hanc unctionem, et duas ponit ad oculos, aures, nares etc.

In Rituali Baltimoren. in Nota dicitur, „ *Usus invaluit in his Provinciis istam unctionem,* (ad Lumbos) *etiam in viris, semper omittendi.*" Attamen vide quae sequuntur.

(Ultrajecten.)

Inter alia haec habentur : „ Quod vero attinet ad renum unctionem, quam in administrando Sacramento extremae Unctionis nunquam in ista Dioecesi Amplitudo Tua adhibitam fuisse testatur, et quam idcirco postulat, ut in Rituali Romano omitti permittatur, visum est Sacrae Congregationi nullam prorsus sive in hac, sive in alia quacumque re suppressionem vel immutationem in Rituali induci oportere, sed illud voluit integre, et fideliter imprimi prout a Paulo V. editum, et a Benedicto XIV. recognitum et castigatum fuit. Quod si unctio renum inusitata istic hactenus fuit, declaravit S. Congregatio patienter se quidem laturam si singularia istius Dioecesis adjuncta impediant quominus illico, et universim ad praxim unctio isthaec deducatur, insimul tamen ardentissimum votum suum expressit, ut curante Amplitudine Tua, et docentibus Parochis, paulatim et sensim sine sensu disponantur Fideles ad istam quoque specialem unctionem in extremo agone recipiendam juxta Ritualis Romani praescriptiones." S. R. C. 14. Aug. 1858.

Usus ungendi stylo in Extrema Unctione non permittitur „remota necessitatis causa." S. R. C. 9. Maji 1857.

In ℣. ℣. et Orationibus dicendis post Unctiones mutatur genus pro foeminis. S. R. C. 12. Aug. 1854.

LITANIÆ.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de coelis Deus, Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.

Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, Ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, Ora pro nobis.
Sancte Michael, Ora pro nobis.
Sancte Gabriel, Ora pro nobis.
Sancte Raphael, Ora pro nobis.
Omnes Sancti Angeli, et Archangeli. Orate pro nobis.
Omnes Sancti beatorum spirituum ordines, Orate etc.
Sancte Joannes Baptista, Ora pro nobis.
Sancte Joseph. Ora pro nobis.
Omnes Sancti Patriarchae, et Prophetae, Orate pro nobis.
Sancte Petre, Ora pro nobis.
Sancte Paule, Ora pro nobis.
Sancte Andrea, Ora pro nobis.
Sancte Jacobe. Ora pro nobis.
Sancte Joannes, Ora pro nobis.
Sancte Thoma. Ora pro nobis.
Sancte Jacobe Ora pro nobis.
Sancte Philippe, Ora pro nobis.
Sancte Bartholomaee, Ora pro nobis.
Sancte Matthaee, Ora pro nobis.
Sancte Simon, Ora pro nobis.
Sancte Thaddaee. Ora pro nobis.
Sancte Mathia, Ora pro nobis.
Sancte Barnaba, Ora pro nobis.
Sancte Luca, Ora pro nobis.
Sancte Marce, Ora pro nobis.
Omnes Sancti Apostoli, et Evangelistae, Orate pro nobis.
Omnes Sancti Discipuli Domini, Orate pro nobis.
Omnes Sancti Innocentes, Orate pro nobis.
Sancte Stephane. Ora pro nobis.
Sancte Laurenti. Ora pro nobis.
Sancte Vincenti. Ora pro nobis.
Sancti Fabiane, et Sebastiane, Orate pro nobis.

Sancti Joannes, et Paule, Orate pro nobis.
Sancti Cosma, et Damiane, Orate pro nobis.
Sancti Gervasi, et Protasi, Orate pro nobis.
Omnes Sancti Martyres, Orate pro nobis.
Sancte Silvester, Ora pro nobis.
Sancte Gregori, Ora pro nobis.
Sancte Ambrosi, Ora pro nobis.
Sancte Augustine, Ora pro nobis.
Sancte Hieronyme, Ora pro nobis.
Sancte Martine, Ora pro nobis.
Sancte Nicoláe, Ora pro nobis.
Omnes Sancti Pontifices, et Confessores, Orate pro nobis.
Omnes Sancti Doctores, Orate pro nobis.
Sancte Antoni, Ora pro nobis.
Sancte Benedicte, Ora pro nobis.
Sancte Bernarde, Ora pro nobis.
Sancte Dominice, Ora pro nobis.
Sancte Francisce, Ora pro nobis.
Omnes Sancti Sacerdotes, et Levitae, Orate pro nobis.
Omnes Sancti Monachi, et Eremitae, Orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena, Ora pro nobis.
Sancta Agatha, Ora pro nobis.
Sancta Lucia, Ora pro nobis.
Sancta Agnes, Ora pro nobis.
Sancta Caecilia, Ora pro nobis.
Sancta Catharina, Ora pro nobis.
Sancta Anastasia, Ora pro nobis.
Omnes Sanctae Virgines, et Viduae, Orate pro nobis.
Omnes Sancti, et Sanctae Dei, Intercedite pro nobis.
Propitius esto, Parce nobis, Domine.
Propitius esto, Exaudi nos, Domine.
Ab omni malo, Libera nos, Domine.
Ab omni peccato, Libera nos, Domine.
Ab ira tua, Libera nos, Domine.
A flagello terraemotus, Libera nos, Domine.

A peste, fame, et bello, Libera nos, Domine.
A subitanea, et improvisa morte, Libera nos, Domine.
Ab insidiis diaboli, Libera nos, Domine.
Ab ira, et odio, et omni mala voluntate, Libera nos, Dñe.
A spiritu fornicationis, Libera nos, Domine.
A fulgure, et tempestate, Libera nos, Domine.
A morte perpetua, Libera nos, Domine.
Per mysterium sanctae Incarnationis tuae, Libera etc.
Per Adventum tuum, Libera nos, Domine.
Per Nativitatem tuam, Libera nos, Domine.
Per Baptismum, et sanctum Jejunium tuum, Libera etc.
Per Crucem, et Passionem tuam, Libera nos, Domine.
Per Mortem, et Sepulturam tuam, Libera nos, Domine.
Per sanctam Resurrectionem tuam, Libera nos, Domine.
Per admirabilem Ascensionem tuam, Libera nos, Domine.
Per adventum Spiritus Sancti Paracliti, Libera nos, Dñe.
In die judicii, Libera nos, Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus audi nos.
Ut nobis indulgeas, Te rogamus audi nos.
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris, Te rogamus audi nos.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere, et conservare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut domnum Apostolicum, et omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris, Te rogamus etc.
Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut regibus et principibus Christianis pacem et veram concordiam donare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut cuncto populo Christiano pacem et unitatem largiri digneris, Te rogamus audi nos.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas, Te rogamus.

Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, Te rogamus audi nos.
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias, Te rogamus.
Ut fructus terrae dare, et conservare digneris, Te rogamus.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut nos exaudire digneris, Te rogamus audi nos.
Fili Dei, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis, Dñe.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos, Dñe.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *secreto.*
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.

Psalmus 69.

Deus, in adjutorium meum intende: * Domine, ad adjuvandum me festina.

Confundantur, et revereantur, * qui quaerunt animam meam.

Avertantur retrorsum, et erubescant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes: * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent, et laetentur in te omnes, qui quaerunt te * et dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum: * Deus, adjuva me.

Adjutor meus, et liberator meus es tu: * Domine, ne moreris. Gloria Patri etc.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℞. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.
℞. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.
℣. Oremus pro Pontifice nostro N.
℞. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.
℣. Oremus pro benefactoribus nostris.
℞. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum in vitam aeternam. Amen.
℣. Oremus pro fidelibus defunctis.
℞. Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace. ℞. Amen.
℣. Pro fratribus nostris absentibus.
℞. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.
℣. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.
℞. Et de Sion tuere eos.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℞. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere suscipe deprecationem nostram: ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice: et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens, sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N. et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae: ut te donante tibi placita cupiat et tota virtute perficiat.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Ure igne Sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus.

Fidelium, Deus, omnium Conditor et Redemptor animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis: te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dñus. ℟. Amen.

℣. Et Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

(Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia.)

Quum in una Tridentina diei 12. Martii 1836, interrogata Sacra Rituum Congregatio, num Litaniae Sanctorum juxta praescriptum

Rubricarum pro Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci ex Indulto Apostolico rite dispositae sint modo ab iisdem de praecepto recitandae in Festo S. Marci et in Rogationibus, affirmative respondisset; accidit, ut responsio haec anxietates et perplexitates pareret quamplurimas pro Religiosis animarum curam habentibus et pro Religiosis illorum Conventuum, qui adnexam habent Ecclesiam Parochialem. Ad omnem itaque anxietatem et perplexitatem removendam Custos Minoriticae Familiae de Observantia in Hetruria et Parochus Ecclesiae Sanctissimi Salvatoris loci nuncupati S. Francisci *di Pietrasanta* in Archidioecesi Pisana, sequentia Dubia huic Sacrorum Rituum Congregationi enodanda proposuit, nimirum:

I. In illis Conventibus, in quibus Religiosus Parochus solus cum Populo assistit Processionibus, Litaniae Ordinis, an potius communes Ecclesiae, erunt cantandae, vel recitandae?

II. Et quatenus cantandae vel recitandae erunt Litaniae communes, satisfacit ne suae obligationi Parochus has recitando, vel potius repetere debet Litanias Ordinis?

III. In Conventibus, in quibus Religiosi omnes ex laudabili consuetudine Processionibus intersunt, si Populus Litanias Ordinis nollet recitare, debebit eadem Religiosa Familia Litanias Ordinis, vel in alia Processione, vel in Choro recitare?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, re mature diligenterque perpensa, rescribendum censuit: Ad I. Recitandas esse Litanias communes. Ad II. Affirmative satisfacit. Ad III. Negative.

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 8. Aprilis 1865.

(Neapolitana.)

Pro parte et ad instantiam nonnullorum Presbyterorum Cleri Civitatis Neapolis supplicatum fuit a S. R. C. declarari: An liceat in quodam Oratorio publico decantare Litanias non integras, sed abbreviatas et diminutas invocando aliquos ex Apostolis, nonnullos ex Martyribus, et ita de Confessoribus et Virginibus, relinquendo prorsus alias preces, nempe *Propitius esto* cum sequentibus etc.

Et eadem S. C. respondit: „Non licere." Hac die 3. Mart. 1674.

Litaniae, quae assignantur pro Sabbato Sancto Paschae et Pentecostes, nequeunt aliis temporibus recitari. S. R. C. 17. Aug. 1833.

In Litaniis Sanctorum recitari debent ℣. ℣. *A peste fame et bello. A flagello terraemotus*, post ℣. *A fulgure* etc. S. R. C 11. Sept. 1847.

DE VISITATIONE ET CURA INFIRMORUM.

Parochus inprimis meminisse debet, non postremas esse muneris sui partes, aegrotantium curam habere. Quare cum primum noverit, quempiam ex Fidelibus curae suae commissis aegrotare, non expectabit ut ad eum vocetur, sed ultro ad illum accedat: idque non semel tantum, sed saepius, quatenus opus fuerit; horteturque parochiales suos, ut ipsum admoneant, cum aliquem in Parochia sua aegrotare contigerit, praecipue si morbus gravior fuerit.

Ad hoc juvabit, praesertim in amplis Parochiis, aegrotorum notam, seu catalogum habere, ut cujusque statum et conditionem cognoscat eorumque memoriam facilius retinere et illis opportune subvenire possit.

Quod si Parochus legitime impeditus, infirmorum, ut quando plures sunt, visitationi interdum vacare non potest: id praestandum curabit per alios Sacerdotes, si quos habet in Parochia sua, aut saltem per laicos homines pios et christiana caritate praeditos.

Aegrotos visitans, ea, qua Sacerdotes Domini decet, honestate et gravitate se habeat, ut non aegris solum, sed sibi et domesticis verbo et exemplo prosit ad salutem.

Eorum vero praecipuam curam geret, qui humanis auxiliis destituti, benigni ac providi Pastoris caritatem et operam requirunt. Quibus si non potest ipse succurrere de suo et eleemosynas illis, prout debet, si facultas suppetit, erogare, quantum fieri potest, sive per caritatis, vel alterius nominis Confraternitatem, si in ea civitate, vel loco fuerit, sive per privatas, sive per publicas collectas et eleemosynas, illorum necessitatibus succurrendum curabit.

Inprimis autem spiritualem aegrotantium curam suscipiat, omnemque diligentiam in eo ponat, ut in viam salutis eos dirigat, atque a diabolicis insidiis salutarium adjumentorum praesidio defendat ac tueatur.

Accedat autem ad aegrotum ita paratus, ut in promptu habeat argumenta ad persuadendum apta, ac praesertim Sanctorum exempla, quae plurimum valent: quibus eum in Domino consoletur, excitet ac recreet. Horteturque, ut omnem spem suam in Deo ponat, peccatorum suorum poeniteat, divinam misericordiam imploret et infirmitatis poenas, tamquam paternam Dei visitationem, patienter ferat, et ad salutem suam provenisse credat, ut vitam moresque suos melius instituat.

Deinde qua par est prudentia et caritate, hominem ad sacram confessionem inducat et confitentem audiat, etiamsi velit totius vitae peccata confiteri; ac si opus fuerit, tam infirmo, quam ejus familiaribus, vel propinquis in memoriam revocet, quod Lateranensis Concilii ac plurium Summorum Pontificum decretis cavetur sub gravibus pœnis, ne Medici ultra tertiam vicem aegrotos visitent, nisi prius ipsis certo constet, illos Confessionis Sacramento rite expiatos fuisse.

Illud praeterea diligenter servari curabit, ne quis pro corporali salute aliquid aegroto suadeat, vel adhibeat, quod in detrimentum animae convertatur.

Ubi vero periculum immineat, Parochus monebit aegrotum, ne daemonum astutia neque medicorum pollicitationibus neque propinquorum, aut amicorum blanditiis se ullo modo decipi sinat; quo minus ea, quae ad animae salutem pertinent, opportune procuret et qua par est devotione et celeritate, sancta Sacramenta, dum sana mens est integrique sensus, religiose suscipiat, citra fallacem illam ac perniciosam procrastinationem, quae plurimos ad aeterna supplicia perduxit, in diesque, fallente diabolo, perducit.

Quod si aeger aliquis hortationibus ac monitis Sacerdotum vel

amicorum et domesticorum consiliis adduci non potest, ut velit peccata sua confiteri, tunc non omnino desperanda res est, sed quamdiu ille vivit, repetendae sunt frequenter variae et efficaces Sacerdotum et aliorum piorum hominum exhortationes; proponendaque aeternae salutis damna et sempiternae mortis supplicia; ostendendaque immensa Dei misericordia, eum ad poenitentiam provocantis, ad ignoscendum paratissimi. Adhibendae sunt etiam tum privatae, tum publicae ad Deum preces, ad divinam gratiam impetrandam pro salute miseri decumbentis.

Videbit denique Sacerdos, quibus potissimum tentationibus, aut pravis opinionibus aeger sit subjectus eique, prout opus fuerit, apta remedia prudenter adhibebit.

Sacras imagines Christi Domini crucifixi, B. M. Virginis, et Sancti, quem aeger praecipue veneratur, ob oculos ejus apponi curabit. Vasculum item adsit Aquae benedictae, qua frequenter aspergatur.

Proponet etiam aegrotanti, prout ejus conditio feret, aliquas Orationes et pias mentis ad Deum excitationes; praesertim versiculos e Psalmorum libro, vel Orationem Dominicam et salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, vel Passionis Domini nostri meditationem, et Sanctorum martyria et exempla, ac coelestis gloriae beatitudinem. Haec tamen opportune et discrete suggerantur, ne aegroto molestia, sed levamen afferatur.

Consoletur infirmum, dicens, se pro eo in Missae Sacrificio et aliis precibus oraturum curaturumque, ut alii itidem pro eo faciant idque re ipsa praestabit.

Si morbus gravior, vel cum periculo fuerit, aegroto suadeat, ut dum integra mente est, rem suam omnem recte constituat et testamentum faciat; si quid habeat alienum, restituat, et ad remedium animae suae pro facultatibus, quod in Domino ei placuerit, disponat: sed haec suggerendo, omnis avaritiae nota caveatur.

Hortetur denique, ut si convaluerit, ante omnia ad Ecclesiam veniat, ubi Deo gratias agat de restituta valetudine et sacram Communionem pie suscipiat; ac deinceps meliorem vitae disciplinam teneat.

Sequentes preces omnes, vel ex parte prout tempus et aegrotorum conditio feret, pro arbitrio Sacerdotis dici, vel omitti possunt.

Sacerdos igitur infirmi cubiculum ingressus, primum dicat:

℣. Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Mox infirmum et lectum ejus et cubiculum aspergat Aqua benedicta, dicens Antiphonam: **Asperges me**, etc.

Deinde erga infirmum officium suum praestet, ut supra dictum est. Quo praestito, vel antequam discedat, dicere poterit supra infirmum aliquem Psalmum ex quatuor prioribus Poenitentialibus, vel Psalm.

Psalmus 90.

Qui habitat in adjutorio Altissimi: * in protectione Dei coeli commorabitur.

Dicet Domino, Susceptor meus es tu et refugium meum: * Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium :*et a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: * et sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: * non timebis a timore nocturno.

A sagitta volante in die † a negotio perambulante in tenebris: * ab incursu et daemonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille, † et decem millia a dextris tuis: * ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis: * et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es, Domine: spes mea: * Altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: * et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te: * ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te :*ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem et basiliscum ambulabis: * et conculcabis leonem et draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum: * protegam eum, quoniam cognovit nomen meum

Clamabit ad me et ego exaudiam eum: * cum ipso sum in tribulatione, † eripiam eum et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: * et ostendam illi salutare meum. Gloria Patri. Sicut erat. Postea dicat:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum.

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eum.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Dominus opem ferat illi.

℟. Super lectum doloris ejus.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram: ut nos et hunc famulum tuum, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Deus, infirmitatis humanae singulare praesidium, auxilii tui super infirmum famulum tuum ostende virtutem: ut ope misericordiae tuae adjutus, Ecclesiae tuae sanctae incolumis repraesentari mereatur.

Concede hunc famulum tuum, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa beatae Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris † et Filii et Spiritus Sancti, descendat super te et maneat semper. ℟. Amen.

Deinde aspergat eum Aqua benedicta.

Qui sequuntur Psalmi et Evangelia cum Precibus, pro temporis etiam opportunitate et pro aegrotantium desiderio, Sacerdotis arbitrio dici poterunt.

Psalmus. 6.

Domine, ne in furore tuo arguas me: * neque in ira tua corripias me.
Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: * sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.
Et anima mea turbata est valde: * sed tu, Domine, usquequo?
Convertere, Domine, et eripe animam meam: * salvum me fac propter misericordiam tuam.
Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: * in inferno autem quis confitebitur tibi?
Laboravi in gemitu meo, † lavabo per singulas noctes lectum meum: * lacrymis meis stratum meum rigabo.
Turbatus est a furore oculus meus: * inveteravi inter omnes inimicos meos.
Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: * quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.
Exaudivit Dominus deprecationem meam: * Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei: * convertantur et erubescant valde velociter. Gloria Patri. Sicut erat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum.
℟. Gloria tibi, Domine.

Dum Sacerdos dicit **Sequentia**, etc. facit signum Crucis de more super se in fronte, ore et in pectore, similiter super infirmum, si fuerit masculus, et is ob infirmitatem non potest se signare.

Si autem fuerit foemina, dum Sacerdos se signat, illa per semetipsam in locis praedictis se signet, si potest: si vero non potest, alia mulier eam signet: et hoc idem in sequentibus Evangeliis servetur.

Matth. 8.

In illo tempore: Cum introisset Jesus Capharnaum accessit ad eum Centurio rogans eum et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus et male torquetur. Et ait ille Jesus: Ego veniam et curabo eum. Et respondens Centurio, ait: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo et sanabitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites et dico huic: Vade, et vadit; et alii: Veni, et venit; et servo meo: Fac hoc, et facit. Audiens autem Jesus, miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno coelorum: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium. Et dixit Jesus Centurioni: Vade et sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne Deus, salus aeterna credentium, exaudi nos pro infirmo famulo tuo N., pro quo misericordiae tuae imploramus auxilium: ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Psalmus 15.

Conserva me, Domine, quoniam speravi in te: † Dixi Domino, Deus meus es tu: * quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus: * mirificavit omnes voluntates meas in eis.
Multiplicatae sunt infirmitates eorum: * postea acceleraverunt.
Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: * nec memor ero nominum eorum per labia mea.
Dominus pars haereditatis meae et calicis mei: * tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.
Funes ceciderunt mihi in praeclaris: * etenim haereditas mea praeclara est mihi.
Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: * insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.
Providebam Dominum in conspectu meo semper: * quoniam a dextris est mihi, ne commovear.
Propter hoc laetatum est cor meum et exultavit lingua mea: * insuper et caro mea requiescet in spe.
Quoniam non derelinques animam meam in inferno: * nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.
Notas mihi fecisti vias vitae, † adimplebis me laetitia cum vultu tuo: * delectationes in dextera tua usque in finem. Gloria Patri.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum.
℟. Gloria tibi, Domine. Marc. 16. c.

In illo tempore: Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem eorum et duritiem cordis; quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super aegros manus imponent et bene habebunt.

OREMUS.

Virtutum coelestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, et omnem infirmitatem praecepti tui potestate depellis: adesto propitius huic famulo tuo N., ut fugatis infirmitatibus et viribus receptis, Nomen sanctum tuum, instaurata protinus sanitate, benedicat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Psalmus 19.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis: * protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de Sancto: * et de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui: * et holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum; * et omne consilium tuum confirmet.

Lætabimur in salutari tuo: * et in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: * nunc cognovi, quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de coelo sancto suo: * in potentatibus salus dexterae ejus.

Hi in curribus et hi in equis: * nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

Ipsi obligati sunt et ceciderunt: * nos autem surreximus et erecti sumus.

Domine, salvum fac regem: * et exaudi nos in die, qua invocaverimus te. Gloria Patri. Sicut erat,

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

℟. Gloria tibi, Domine. Luc. 4. g.

In illo tempore: Surgens Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: et rogaverunt illum pro ea. Et stans super illam, imperavit febri: et dimisit illam. Et continuo surgens ministrabat illis. Cum autem sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui fragilitatem humanae conditionis, infusa virtutis tuae dignatione, confirmas, ut salutaribus remediis pietatis tuae corpora nostra et mentes vegetentur: super hunc famulum tuum propitius intende, ut omni necessitate corporeae infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinae sanitatis perfecte reparetur. Per Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.

Psalmus 85.

Inclina, Domine, aurem tuam et exaudi me, * quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: ° salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei, Domine, † quoniam ad te clamavi tota die: ° laetifica

animam servi tui, † quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu, Domine suavis et mitis: * et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam: * et intende voci deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad te: * quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis, Domine: * et non est secundum opera tua.

Omnes gentes, quascunque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine: * et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu et faciens mirabilia: * tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua et ingrediar in veritate tua: * laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine, Deus meus, in toto corde meo: * et glorificabo nomen tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super me: * et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, † et synagoga potentium quaesierunt animam meam: * et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu, Domine Deus, miserator et misericors: * patiens et multae misericordiae et verax.

Respice in me et miserere mei: * da imperium tuum puero tuo, † et salvum fac filium ancillae tuae.

Fac mecum signum in bonum, † ut videant, qui oderunt me et confundantur: ° quoniam tu, Domine, adjuvisti me et consolatus es me. Gloria Patri. Sicut erat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

℟. Gloria tibi Domine, Joan. 5.

In illo tempore: Erat dies festus Judaeorum, et ascendit Jesus Jerosolymam. Est autem Jerosolymis Probatica piscina, quae cognominatur Hebraice Bethsaida quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum, expectantium aquae motum. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam et movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae, sanus fiebat a quacunque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi, triginta et octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset Jesus jacentem, et cognovisset quia jam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam:

dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum et ambula. Et statim sanus factus est homo ille, et sustulit grabatum suum et ambulabat. Erat autem Sabbatum in die illo. Dicebant ergo Judaei illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis: Qui me sanum fecit; ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum et ambula. Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum et ambula? Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset: Jesus enim declinavit a turba constituta in loco. Postea invenit eum Jesus in templo et dixit illi: Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

OREMUS.

Respice, Domine, famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem, et animam refove, quam creasti: ut castigationibus emendatus, continuo se sentiat tua medicina salvatum. Per Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.

Psalmus 90.

Qui habitat in adjutorio Altissimi: * in protectione Dei coeli commorabitur.

Dicet Domino, Susceptor meus es tu et refugium meum: * Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: * et a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: * et sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: * non timebis a timore nocturno.

A sagitta volante in die † a negotio perambulante in tenebris: * ab incursu et daemonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille, † et decem millia a dextris tuis: * ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis: * et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es, Domine: spes mea: * Altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: * et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te: * ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: * ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem et basiliscum ambulabis: * et conculcabis leonem et draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum: * protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me et ego exaudiam eum: * cum ipso sum in tribulatione, † eripiam eum et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: * et ostendam illi salutare meum. Gloria Patri. Sicut erat.

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne Deus, infirmitatem famuli tui propitius respice: atque ad protegendum eum dexteram tuae majestatis extende. Per Christum Dñum. ℟. Amen.

Completa Oratione ultima, Sacerdos imponat dexteram manum super caput infirmi et dicat:

Super aegros manus imponent, et bene habebunt. Jesus Mariae Filius, mundi salus et Dominus, meritis et intercessione Sanctorum Apostolorum suorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum, sit tibi clemens et propitius. Amen.

Postea dicat ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Initium sancti Evangelii secundum Joannem.

℟. Gloria tibi, Domine. Joan. 1.

In principio erat Verbum; et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est: in ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est. et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. *Et Verbum Caro factum est*, et habitavit

in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis. ℟. Deo gratias.

Postea benedicens infirmum subjungat, dicens:

Benedictio Dei omnipotentis, Patris ✝ et Filii et Spiritus Sancti, descendat super te et maneat semper. ℟. Amen.

Deinde aspergat eum Aqua benedicta.

Si fuerint plures infirmi in eodem cubiculo, vel loco, Preces et Orationes praedictae dicuntur super eos in numero plurali. Quae omnia etiam poterunt, arbitrio Sacerdotis, breviora fieri.

RITUS BENEDICTIONIS APOSTOLICAE

in articulo mortis a Sacerdotibus ad id delegatis impertiendae. Vide pag. 75. et seqq.

ABSOLUTIONES IN ARTICULO MORTIS

conferendae cum Indulgentia Plenaria a Sacerdotibus facultatem habentibus et juxta privilegia morientium. Vide pag. 80. et seqq.

MODUS JUVANDI MORIENTES.

Ingravescente morbo, Parochus infirmum frequentius visitabit, et ad salutem diligenter juvare non desinet, monebitque instante periculo se confestim vocari, ut in tempore praesto sit morienti, sumptoque sanctissimo Viatico et sacra Unctione adhibita, si periculum immineat, statim commendationis animae officium praestabit, de quo infra. Sed si tempus suppetat, sequentia pietatis officia praestare poterit, si ita expedire judicaverit, pro conditione personae.

Ac primo, si aegrotus Indulgentiam legitima auctoritate concessam consequi possit; eam illi reducat ad mentem proponatque, quid ad eam consequendam agi debeat: praesertim, ut contrito corde Ss. Nomen **JESU** semel, vel saepius invocet.—Deinde hortetur infirmum et excitet, ut dum mente viget, eliceat actus fidei, spei et caritatis aliarumque virtutum, nempe:

Ut firmiter credat omnes articulos Fidei, et quidquid Sancta Romana Ecclesia Catholica et Apostolica credit et docet.—Ut speret, Christum Dominum nostrum pro sua immensa clementia sibi fore propitium; et merito ejus ss. Passionis, et per intercessionem B. Mariae et omnium Sanctorum, se vitam aeternam consecuturum.—Ut toto corde diligat et maxime dili-

gere cupiat Dominum Deum ea dilectione, qua illum diligunt Beati Sanctique omnes.—Ut ob amorem Dei doleat ex corde de omni offensa qualitercunque contra Dominum Deum et proximum commissa.—Ut ex corde ob amorem Dei parcat omnibus, qui sibi quoquo modo fuerint molesti aut inimici.—Ut ab iis veniam postulet, quos aliquando dictis, aut factis offendit.—Ut quem patitur dolorem et morbi molestiam, propter Deum in poenitentiam peccatorum suorum patienter toleret.—Ut si Dominus sibi salutem corporis praestare dignabitur, proponat de cetero pro viribus suis a peccatis cavere et ejus mandata servare.

Hortetur praeterea, ut eo modo, quo potest saltem ex corde ita per intervalla precetur.

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, redemisti me, Domine, Deus veritatis.

Deus, in adjutorium meum intende: Domine, ad adjuvandum me festina.

Esto mihi, Domine, in Deum protectorem.

Deus, propitius esto mihi peccatori.

Dulcissime Domine Jesu Christe, per virtutem ss. Pasionis tuae, recipe me in numerum electorum tuorum.

Domine Jesu Christe, suscipe spiritum meum.

Maria mater gratiae, mater misericordiae, tu me ab hoste protege et hora mortis suscipe.

Sancte Angele Dei, mihi custos assiste.

Omnes Sancti Angeli et omnes Sancti intercedite pro me et mihi succurrite.

Haec et his similia poterit prudens Sacerdos vulgari, vel latino sermone, pro personae captu, morienti suggerere.

Deinde sequentes preces quanta poterit majori devotione dicat, admoneatque domesticos et circumstantes, ut simul orent pro moriente.

———o———

ORDO COMMENDATIONIS ANIMAE.

Parochus ad decedentis animae commendationem accedens, Clericum saltem unum, si potest, secum habeat, qui deferat vasculum Aquae benedictae, superpelliceum et stolam violaceam, quibus ipse Sacerdos ante infirmi cubiculum indutus, locum ingrediens, dicat: **Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea.** Deinde aspergat aegrotum, lectum et circumstantes Aqua benedicta, dicens: **Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor,** etc.

Postea Salvatoris nostri Crucifixi imaginem aegroto osculandam praebeat, verbis efficacibus eum ad spem aeternae salutis erigens, ipsamque imaginem coram eo ponat, ut illam aspiciens, salutis suae spem sumat.

Deinde accensa candela, genibus flexis cum omnibus circumstantibus breves Litanias devote recitet in hunc modum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Sancta Maria. Ora pro eo.
Omnes Sancti Angeli et Archangeli, Orate pro eo.
Sancte Abel, Ora.
Omnis chorus Justorum, Ora.
Sancte Abraham, Ora.
Sancte Joannes Baptista, Ora.
Sancte Joseph, Ora.
Omnes Sancti Patriarchae et Prophetae, Orate.
Sancte Petre, Ora.
Sancte Paule, Ora.
Sancte Andrea, Ora.
Sancte Joannes, Ora.
Omnes Sancti Apostoli et Evangelistae, Orate.
Omnes Sancti Discipuli Domini. Orate pro eo.
Omnes Sancti Innocentes, Orate pro eo.
Sancte Stephane, Ora.
Sancte Laurenti, Ora.
Omnes Sancti Martyres, Orate pro eo.
Sancte Sylvester, Ora.
Sancte Gregori, Ora.
Sancte Augustine, Ora.
Omnes Sancti Pontifices et Confessores, Orate pro eo.
Sancte Benedicte, Ora.
Sancte Francisce, Ora.
Omnes Sancti Monachi et Eremitae, Orate pro eo.
Sancta Maria Magdalena, Ora pro eo.
Sancta Lucia, Ora.
Omnes Sanctae Virgines et Viduae, Orate pro eo.
Omnes Sancti et Sanctae Dei, Intercedite pro eo.
Propitius esto, Parce ei, Domine.
Propitius esto, Libera eum, Domine.
Propitius esto, Libera.
Ab ira tua, Libera.

A periculo mortis, Libera.
A mala morte, Libera.
A poenis inferni, Libera.
Ab omni malo, Libera.
A potestate diaboli, Libera.
Per Nativitatem tuam, Libera eum, Domine.
Per Crucem et Passionem tuam, Libera.
Per Mortem et Sepulturam tuam, Libera.
Per gloriosam Resurrectionem tuam, Libera.
Per admirabilem Ascensionem tuam, Libera.
Per gratiam Spiritus Sancti Paracliti, Libera.
In die judicii, Libera.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut ei parcas, Te rogamus.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Deinde cum in agone sui exitus anima anxiatur, dicantur sequentes Orationes.

ORATIO.

Proficiscere, anima Christiana, de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit: in nomine Jesu Christi Filii Dei vivi, qui pro te passus est: in nomine Spiritus Sancti, qui in te effusus est; in nomine Angelorum et Archangelorum: in nomine Thronorum et Dominationum: in nomine Principatuum et Potestatum: in nomine Cherubim et Seraphim: in nomine Patriarcharum et Prophetarum: in nomine Sanctorum Apostolorum et Evangelistarum: in nomine Sanctorum Martyrum et Confessorum: in nomine Sanctorum Monachorum et Eremitarum: in nomine Sanctarum Virginum, et omnium Sanctorum et Sanctarum Dei. Hodie sit in pace locus tuus et habitatio tua in sancta Sion. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

ORATIO.

Deus misericors, Deus clemens, Deus, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata poenitentium deles, et praeteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas: respice propitius super hunc famulum tuum N., et remissionem omnium peccatorum suorum

tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est: et unitati corporis Ecclesiae membrum redemptionis annecte. Miserere, Domine, gemituum, miserere lacrymarum ejus: et non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad tuae sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Commendo te omnipotenti Deo, carissime frater, et ei, cujus es creatura, committo: ut cum humanitatis debitum morte interveniente persolveris, ad Auctorem tuum, qui te de limo terrae formaverat, revertaris. Egredienti itaque animae tuae de corpore, splendidus Angelorum coetus occurrat: judex Apostolorum tibi senatus adveniat: candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obviet: liliata rutilantium te Confessorum turba circúmdet: jubilantium te Virginum chorus excipiat, et beatae quietis in sinu Patriarcharum te complexus astringat: mitis atque festivus Christi Jesu tibi aspectus appareat, qui te inter assistentes sibi jugiter interesse decernat. Ignores omne, quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus Satanas cum satellitibus suis: in adventu tuo te comitantibus Angelis contremiscat, atque in aeternae noctis chaos immane effugiat. Exurgat Deus et dissipentur inimici ejus; et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei: et justi epulentur et exultent in conspectu Dei. Confundantur igitur et erubescant omnes tartareae legiones, et ministri Satanae iter tuum impedire non audeant. Liberet te a cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Liberet te ab aeterna morte Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus Filius Dei vivi intra Paradisi sui semper amoena virentia et inter oves suas te verus ille Pastor agnoscat. Ille ab omni-

bus peccatis tuis te absolvat; atque ad dexteram suam in electorum suorum te sorte constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas et praesens semper assistens, manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus igitur inter agmina Beatorum, contemplationis divinae dulcedine potiaris in saecula saeculorum. ℟. Amen.

ORATIO.

Suscipe, Domine, servum tuum in locum sperandae sibi salvationis a misericordia tua. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui ex omnibus periculis inferni, et de laqueis poenarum, et ex omnibus tribulationibus. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Henoch et Eliam de communi morte mundi. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Noe de diluvio. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Abraham de Ur Chaldaeorum. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Job de passionibus suis. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Isaac de hostia, et de manu patris sui Abrahae. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Loth de Sodomis et de flamma ignis. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Moysen de manu Pharaônis regis Aegyptiorum. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Danielem de lacu leonum. ℟. Amen.

Libera, Dñe, animam servi tui, sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis, et de manu regis iniqui. ℟. Am.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Susannam de falso crimine. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Da-

vid de manu regis Saul et de manu Goliae. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Petrum et Paulum de carceribus. ℟. Amen.

Et sicut beatissimam Theclam Virginem et Martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberasti, sic liberare digneris animam hujus servi tui, et tecum facias in bonis congaudere coelestibus. ℟. Amen.

ORATIO.

Commendamus tibi, Domine, animam famuli tui N., precamurque te, Domine Jesu Christe Salvator mundi, ut propter quam ad terram misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce, Domine, creaturam tuam, non a diis alienis creatam; sed a te solo Deo vivo et vero: quia non est alius Deus praeter te, et non est secundum opera tua. Laetifica, Domine, animam ejus in conspectu tuo, et ne memineris iniquitatum ejus antiquarum, et ebrietatum, quas suscitavit furor, sive fervor mali desiderii. Licet enim peccaverit, tamen Patrem et Filium et Spiritum Sanctum non negavit, sed credidit et zelum Dei in se habuit, et Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit.

ORATIO.

Delicta juventutis et ignorantias ejus, quaesumus ne memineris, Domine: sed secundum magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuae. Aperiantur ei coeli, collaetentur illi Angeli. In regnum tuum, Domine, servum tuum suscipe. Suscipiat eum Sanctus Michael Archangelus Dei, qui militiae coelestis meruit principatum. Veniant illi obviam Sancti Angeli Dei et perducant eum in civitatem coelestem Jerusalem. Suscipiat eum Beatus Petrus Apostolus, cui a Deo claves regni coelestis traditae sunt. Adjuvet eum Sanctus Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo Sanctus Joannes electus Dei Apostolus, cui revelata sunt secreta coelestia: Orent pro eo omnes Sancti

Apostoli, quibus a Domino data est potestas ligandi atque solvendi. Intercedant pro eo omnes Sancti et Electi Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc saeculo sustinuerunt: ut vinculis carnis exutus, pervenire mereatur ad gloriam regni coelestis, praestante Domino nostro Jesu Christo: Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Si vero diutius laboret anima, poterit legi super eum hoc Evangelium S. Joannis. Joan. 17.

Sublevatis oculis in coelum Jesus, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te: Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam aeternam. Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum. Ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam: et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: Tui erant et mihi eos dedisti: et sermonem tuum servaverunt. Nunc cognoverunt, quia omnia, quae dedisti mihi, abs te sunt: quia verba, quae dedisti mihi, dedi eis: et ipsi acceperunt et cognoverunt vere, quia a te exivi et crediderunt, quia tu me misisti. Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt: et mea omnia tua sunt et tua mea sunt: et clarificatus sum in eis. Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt et ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum, sicut et nos. Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi: et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio: et haec loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus

eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut me misisti in mundum et ego misi eos in mundum. Et pro eis sanctifico meipsum: ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum sicut et nos unum sumus. Ego in eis et tu in me; ut sint consummati in unum: et cognoscat mundus, quia tu me misisti et dilexisti eos, sicut et me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego et illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater juste, mundus te non cognovit: ego autem te cognovi: et hi cognoverunt, quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum et notum faciam: ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit et ego in ipsis.

Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Joannem.

Ut in Missali Feria vi. in Parasceve. Joan. Cap. 18 & 19.

Oratio ad Dominum Jesum Christum de singulis articulis Passionis ejus, dicenda a moriente, vel ab alio pro eo.

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi. ℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum

Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda traditori osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui,

Cruci clavis affigi, in Cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari et lancea vulnerari. Tu, Domine, per has sanctissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam Crucem et Mortem tuam, libera me (*vel, si alius dicit pro eo,* libera famulum tuum N.), a poenis inferni, et perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Dici praeterea possunt sequentes Psalmi.

Psalmus 117.

Confitemini Domino, quoniam bonus: * quoniam in saeculum misericordia ejus.

Dicat nunc Israel, quoniam bonus: * quoniam in saeculum misericordia ejus.

Dicat nunc domus Aaron: * quoniam in saeculum misericordia ejus.

Dicant nunc, qui timent Dominum: * quoniam in saeculum misericordia ejus.

De tribulatione invocavi Dominum: * et exaudivit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adjutor: * non timebo quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adjutor: * et ego despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in Domino: * quam confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino: * quam sperare in principibus.

Omnes gentes circuiverunt me: et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.

Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis: * et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.

Impulsus eversus sum, ut caderem: * et Dominus suscepit me.

Fortitudo mea et laus mea Dominus: * et factus est mihi in salutem.

Vox exultationis et salutis * in tabernaculis justorum.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: * dextera Domini fecit virtutem.

Non moriar, sed vivam: * et narrabo opera Domini.

Castígans castigavit me Dominus: * et morti non tradidit me.

Aperíte mihi portas justitiae; ingressus in eas confitebor Domino: * haec porta Domini, justi intrabunt in eam.

Confitebor tibi, quoniam exaudisti me: * et factus es mihi in salutem.

Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, * hic factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud, * et est mirabile in oculis nostris.

Haec est dies, quam fecit Dominus: * exultemus et laetemur in ea.

O Domine, salvum me fac, o Domine, bene prosperare: * benedictus, qui venit in nomine Domini.

Benediximus vobis de domo Domini: * Deus Dominus et illuxit nobis.

Constituite diem solemnem in condensis, * usque ad cornu altaris.
Deus meus es tu et confitebor tibi: * Deus meus es tu et exaltabo te.
Confitebor tibi, quoniam exaudisti me :*et factus es mihi in salutem.
Confitemini Domino, quoniam bonus: * quoniam in saeculum misericordia ejus. Gloria Patri etc.

Psalmus 118.

Beati immaculati in via, * qui ambulant in lege Domini.
Beati, qui scrutantur testimonia ejus:*in toto corde exquirunt eum.
Non enim, qui operantur iniquitatem, * in viis ejus ambulaverunt.
Tu mandasti, * mandata tua custodiri nimis.
Utinam dirigantur viae meae,*ad custodiendas justificationes tuas.
Tunc non confundar, * cum perspexero in omnibus mandatis tuis.
Confitebor tibi in directione cordis: * in eo, quod didici judicia justitiae tuae.
Justificationes tuas custodiam: ° non me derelinquas usquequaque.

In quo corrigit adolescentior viam suam? * in custodiendo sermones tuos.
In toto corde meo exquisivi te: * ne repellas me a mandatis tuis.
In corde meo abscondi eloquia tua, * ut non peccem tibi.
Benedictus es, Domine: ° doce me justificationes tuas.
In labiis meis * pronuntiavi omnia judicia oris tui.
In via testimoniorum tuorum delectatus sum, ° sicut in omnibus divitiis.
In mandatis tuis exercebor: * et considerabo vias tuas.
In justificationibus tuis meditabor: ° non obliviscar sermones tuos. Gloria Patri etc.

Retribue servo tuo, vivifica me: *et custodiam sermones tuos.
Revéla oculos meos, ° et considerabo mirabilia de lege tua.
Incola ego sum in terra: * non abscondas a me mandata tua.
Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas ° in omni tempore.
Increpasti superbos: * maledicti, qui declinant a mandatis tuis.
Aufer a me opprobrium et contemptum: ° quia testimonia tua exquisivi.
Etenim sederunt principes et adversum me loquebantur: * servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.
Nam et testimonia tua meditatio mea est: ° et consilium meum justificationes tuae.

Adhaesit pavimento anima mea: * vivifica me secundum verbum tuum.
Vias meas enuntiavi et exaudisti me; ° doce me justificationes tuas.
Viam justificationum tuarum instrue me: * et exercebor in mirabilibus tuis.
Dormitavit anima mea prae taedio: ° confirma me in verbis tuis.
Viam iniquitatis amove a me: ° et de lege tua miserere mei.
Viam veritatis elegi: ° judicia tua non sum oblitus.
Adhaesi testimoniis tuis, Domine: ° noli me confundere.

Viam mandatorum tuorum cucurri, ° cum dilatasti cor meum. Gloria Patri.

Tres piae et utiles morientibus Orationes, cum tribus *Pater noster* et tribus *Ave Maria*, in agone mortis recitandae.

Primo dicitur: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Ave Maria.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, per tuam sanctissimam agoníam, et orationem, qua orasti pro nobis in monte Oliveti, quando factus est sudor tuus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram: obsecro te, ut multitudinem sudoris tui sanguinei, quem prae timoris angustia copiosissime pro nobis effudisti, offerre et ostendere digneris Deo Patri omnipotenti contra multitudinem omnium peccatorum hujus famuli tui N., et libera eum in hac hora mortis suae ab omnibus poenis et angustiis, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Secundo dicitur: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Ave Maria.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui pro nobis mori dignatus es in Cruce, obsecro te, ut omnes amaritudines passionum et poenarum tuarum, quas pro nobis miseris peccatoribus sustinuisti in Cruce, maxime in illa hora, quando sanctissima anima tua egressa est de sanctissimo corpore tuo, offerre et ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima hujus famuli tui N., et libera eum in hac hora mortis ab omnibus poenis et passionibus, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Tertio dicitur: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Ave Maria.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui per os Prophetae dixisti: In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans: obsecro te, ut eandem caritatem tuam, quae te de coelis in terram ad tolerandas omnium passionum tuarum amaritudines attraxit; offerre et ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima hujus famuli tui N., et libera eum ab omnibus passionibus et poenis, quas pro peccatis suis timet se meruisse. Et salva animam ejus in hac hora exitus sui. Aperi ei januam vitae, et fac eum gaudere cum Sanctis tuis in gloria aeterna. Et tu, piissime Domine Jesu Christe, qui redemisti nos pretiosissimo Sanguine tuo, miserere animae hujus famuli tui, et eam introducere digneris ad semper virentia et amoena loca Paradisi, ut vivat tibi amore indivisibili, qui a te et ab electis tuis nunquam separari potest. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. ℟. Amen.

IN EXPIRATIONE.

Cum vero tempus expirandi institerit, tunc maxime ab omnibus circumstantibus, flexis genibus vehementer orationi instandum est. Ipse vero moriens, si potest, dicat, vel si non potest, assistens, sive Sacerdos pro eo clara voce pronuntiet: **JESU, JESU, JESU.** Quod, et ea, quae sequuntur, ad illius aures, si videbitur, etiam saepius repetat.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Domine Jesu Christe, suscipe spiritum meum. Sancta Maria, ora pro me. Maria mater gratiae, mater misericordiae, tu me ab hoste protege, et hora mortis suscipe.

Tunc ubi viget pia consuetudo, pulsetur campana Parochialis Ecclesiae aliquibus ictibus, ad significandum fidelibus in urbe, vel loco, aut extra in suburbanis existentibus, instantem mortem expirantis aegroti, ut pro eo Deum rogare possint.

Egressa anima de corpore, statim dicatur hoc

℣. Subveníte Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, * Suscipientes animam ejus, * Offerentes eam in conspectu Altissimi. ℣. Suscipiat te Christus, qui vocavit te, et in sinum Abrahae Angeli deducant te. ℟. Suscipientes ani-

mam ejus,*Offerentes eam in conspectu Altissimi. ℣. Requiem aeternam dona ei, Domine, et lux perpetua luceat ei. *Offerentes eam in conspectu Altissimi.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Requiem aeternam dona ei, Domine.
℟. Et lux perpetua luceat ei.
℣. A porta inferi. ℟. Erue, Domine, animam ejus.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Tibi, Domine, commendamus animam famuli tui N., ut defunctus saeculo tibi vivat: et quae per fragilitatem humanae conversationis peccata commisit, tu venia misericordissimae pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Interim detur campana signum transitus defuncti pro loci consuetudine, ut audientes pro ejus anima Deum precentur. Deinde corpus de more honeste compositum, loco decenti cum lumine collocetur: ac parva Crux super pectus inter manus defuncti ponatur, aut ubi Crux desit, manus in modum Crucis componantur, interdumque aspergatur Aqua benedicta, et interim donec efferatur, qui adsunt, sive Sacerdotes, sive alii, orabunt pro defuncto.

DE EXEQUIIS.

Sacras Caeremonias ac ritus, quibus ex antiquissima traditione et Summorum Pontificum institutis sancta mater Ecclesia Catholica in filiorum suorum exequiis uti solet, tamquam vera religionis mysteria, Christianaeque pietatis signa et fidelium mortuorum saluberrima suffragia, Parochi summo studio servare debent atque usu retinere.

His itaque praestandis, qua par est modestia ac devotione ita se habebunt, ut ad defunctorum salutem, simulque ad vivorum pietatem, quemadmodum vere sunt, non ad quaestum ejusmodi Ritus sancti instituti esse videantur.

Nullum corpus sepeliatur, praesertim si mors repentina fuerit, nisi post debitum temporis intervallum, ut nullus omnino de morte relinquatur dubitandi locus.

Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa, praesente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur.

Si quis die festo sit sepeliendus, Missa propria pro defunctis praesente corpore celebrari poterit; dum tamen Conventualis Missa et Officia divina non impediantur magnaque diei celebritas non obstet.

Caveant omnino Parochi aliique Sacerdotes, ne sepulturae vel exequiarum, seu anniversarii Mortuorum officii causa quidquam paciscantur, aut tamquam pretium exigant; sed iis eleemosynis contenti sint, quae aut probata consuetudine dari solent, aut Ordinarius constituerit. Neque permittant, ut pallia, aut alia Altaris ornamenta ad ornatum feretri, vel tumbae adhibeantur.

Cum autem antiquissimi ritus Ecclesiastici sit, cereos accensos in exequiis et funeribus deferre, caveant item, ne ejusmodi ritus omittatur, ac ne quid avare, aut indigne in eo committatur.

Pauperes vero, quibus mortuis nihil, aut ita parum superest, ut propriis impensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur; ac debita lumina suis impensis, si opus fuerit, adhibeant Sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia Confraternitas, si fuerit, juxta loci consuetudinem.

Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in Coemeteriis, retineatur; et ubi fieri potest, restituatur: at vero cui locus sepulturae dabitur in Ecclesia, humi tantum detur, Cadavera autem prope Altaria non sepeliantur.

Sepulcra Sacerdotum et Clericorum cujuscunque Ordinis, ubi fieri potest, a sepulcris laicorum separata sint, ac decentiori loco sita; atque ita, ubi commodum fuerit, ut alia pro Sacerdotibus, alia pro inferioris Ordinis Ecclesiae ministris parata sint.

Sacerdos, aut cujusvis Ordinis Clericus defunctus, vestibus suis quotidianis communibus usque ad talarem vestem inclusive, tum desuper sacro vestitu Sacerdotali, vel Clericali, quem Ordinis sui ratio deposcit, indui debet. Sacerdos quidem super talarem vestem, amictu, alba, cingulo, manipulo, stola et casula, seu planeta violacea sit indutus.—Diaconus vero induatur amictu, alba, cingulo, manipulo, stola super humerum sinistrum, quae sub axilla dextera annectatur, et dalmatica violacea.—Subdiaconus autem amictu, alba, cingulo, manipulo et tunicella.—Alii praeterea inferiorum Ordinum Clerici superpelliceo supra vestem talarem ornari debent, singuli praedicti cum tonsura ac biretis suis.

Nullum porro cadaver perpetuae sepulturae traditum, ex ulla cujusvis Ordinis Ecclesia asportari liceat, nisi de licentia Ordinarii.

Laici cadaver, quolibet generis, aut dignitatis titulo praeditus ille fuerit, Clerici ne deferant, sed laici.

Corpora defunctorum in Ecclesia ponenda sunt pedibus versus Altare majus; vel si conduntur in Oratoriis, aut Capellis, ponantur cum pedibus versis ad illarum Altaria: quod etiam pro situ et loco fiat in sepulcro. Presbyteri vero habeant caput versus Altare.

Ceterum nemo Christianus in communione fidelium defunctus, extra Ecclesiam, aut coemeterium rite benedictum sepeliri debet;

sed si necessitas cogat ex aliquo eventu aliquando ad tempus aliter fieri, curetur, ut quatenus fieri poterit, corpus in locum sacrum quamprimum transferatur; et interim semper Crux capiti illius apponi debet, ad significandum illum in Christo quievisse.

QUIBUS NON LICET DARE ECCLESIASTICAM SEPULTURAM.

Ignorare non debet Parochus, qui ab Ecclesiastica sepultura ipso jure sunt excludendi, ne quemquam ad illam contra sacrorum Canonum decreta unquam admittat.

Negatur igitur Ecclesiastica sepultura paganis, judaeis, et omnibus infidelibus; haereticis et eorum fautoribus; apostatis a Christiana fide: schismaticis, et publicis excommunicatis majori excommunicatione; interdictis nominatim, et iis, qui sunt in loco interdicto, eo durante.—Seipsos occidentibus ob desperationem, vel iracundiam, non tamen si ex insania id accidat, nisi ante mortem dederint signa poenitentiae.—Morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint poenitentiae signa.—Manifestis, et publicis peccatoribus, qui sine poenitentia perierunt.—Iis, de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperunt Sacramenta Confessionis, et Communionis in Pascha, et absque ullo signo contritionis obierunt.—Infantibus mortuis absque Baptismo.—Ubi vero in praedictis casibus dubium occurrerit, Ordinarius consulatur.

EXEQUIARUM ORDO.

Constituto tempore, quo corpus ad Ecclesiam deferendum est, convocetur Clerus et alii, qui funeri interesse debent, et in Parochialem, vel in aliam Ecclesiam, juxta loci consuetudinem, ordine conveniant; ac datis certis campanae signis, eo modo et ritu, quo in eo loco fieri solet, Parochus induto superpelliceo et stola nigra, vel etiam pluviali ejusdem coloris, Clerico praeferente Crucem et alio Aquam benedictam, ad domum defuncti una cum aliis procedit. Distribuntur cerei, et accenduntur intorticia. Mox ordinatur Processio, praecedentibus laicorum Confraternitatibus, si adsint; tum sequitur Clerus regularis et saecularis per ordinem; binique procedunt, praelata Cruce, devote Psalmos, ut infra, decantantes, Parocho praecedente feretrum cum luminibus; inde sequuntur alii funus comitantes, et pro defuncto Deum rite deprecantes sub silentio.

Parochus vero, antequam cadaver efferatur, illud aspergit Aqua benedicta, mox dicit Antiph.: **Si iniquitates**, cum Ps. **De profundis** etc. ut pag. 72., in fine **Requiem aeternam dona ei, Domine,** etc. repetit Antiph. totam, **Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?**

Deinde cadaver effertur, Parochusque de domo procedens, statim gravi voce intonat Antiphonam: *Exultabunt Domino*, et Cantores inchoant Ps. *Miserere*, etc. ut pag. 71. Clero alternatim prosequente; at si longitudo itineris postulaverit, dicuntur Psalmi Graduales, *Ad*

Dominum cum tribularer, etc., vel alii Psalmi ex Officio Mortuorum, et in fine cujuslibet Psalmi dicitur: *Requiem aeternam dona ei, Domine*, etc., qui Psalmi devote, distincte, gravique voce recitari debent usque ad Ecclesiam.

Ad ingressum Ecclesiae repetitur Antiph. *Exultabunt Domino ossa humiliata.* Deinde Ecclesiam ingressi, cantant Responsorium, Cantore incipiente, et Clero alternatim respondente, videlicet:

Subveníte Sancti Dei, occcurrite Angeli Domini: Suscipientes animam ejus: Offerentes eam in conspectu Altissimi. Suscipiat te Christus, qui vocavit te: et in sinum Abrahae Angeli deducant te. Suscipientes animam ejus. ℣. Requiem aeternam dona ei, Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. Offerentes eam in conspectu Altissimi.

Deposito feretro in medio Ecclesiae, ita ut defuncti pedes, si fuerit laicus, sint versus Altare majus: si vero fuerit Sacerdos, ut dictum est, caput sit versus ipsum Altare; et cereis accensis circa corpus, statim, nisi quid impediat, ut infra monebitur, dicatur Officium Mortuorum, cum tribus Nocturnis et Laudibus; et duo ex Clero incipiant absolute Invitatorium: *Regem, cui omnia vivunt, Venite, adoremus;* et repetitur a Clero: *Regem, cui omnia vivunt, Venite adoremus.* Psalmus. *Venite exultemus*, etc. et duplicantur Antiphonae.

Ad finem Officii post Antiphonam Cantici *Benedictus*, etc. *Ego sum Resurrectio*, etc. dicitur *Pater noster*, secreto.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. A porta inferi. ℟. Erue, Domine, animam ejus.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Absolve, quaesumus Domine, animam famuli tui ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria inter Sanctos et Electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dum in Officio dicuntur Laudes, Sacerdos cum ministris paratur ad celebrandam Missam solemnem pro defuncto, si tempus congruens fuerit, ut in die depositionis in Missali Romano.

Finita Missa, Sacerdos, deposita casula, seu planeta, et manipulo, accipit pluviale nigri coloris: et Subdiaconus accipit Crucem, et ac-


cedit ad feretrum, et se sistit ad caput defuncti cum Cruce, medius inter duos Acolythos, seu ceroferarios cum candelabris et candelis accensis: et omnes alii de Clero veniunt ordinatim in gradu suo cum candelis accensis: et stant in circuitu feretri: tum sequitur Sacerdos cum Diacono et assistente, aliisque ministris, et facta reverentia Altari, sistit se contra Crucem ad pedes defuncti, retro adstantibus ei a sinistris duobus Acolythis, uno cum thuribulo et navicula incensi, altero cum vase Aquae benedictae et aspersorio, et Acolytho, seu Clerico tenente librum, absolute dicit sequentem Orationem:

Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum, quaesumus, tua judicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei Christianae commendat; sed gratia tua illi succurrente, mereatur evádere judicium ultionis, qui dum viveret, insignítus est signaculo Sanctae Trinitatis: qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.


Deinde Cantore incipiente, Clerus circumstans cantat sequens Responsorium:




Li - be - ra me, Do - mine, de




mor - te ae - ter - na, in die





il - la tre - men - da: Quando coe-



li mo - ven - di sunt et ter - ra: *



Dum ve - - - - ne - ris ju-


di - ca - - - - re


sae - - culum per ignem. ℣. Tremens factus


sum ego, et ti - meo, dum dis cus si o


ve - nerit, atque ven - tu - ra i-




ra. *Repet.* Quando coe - li mo - ven - di



sunt et ter - ra. ℣. Dies illa, dies i - rae,




ca - la - mi - ta - tis et mi - se - riae,




di - es ma - gna et a - ma - ra valde. *Repet.*




Dum ve - - ne - ris ju - di-




ca - - - re sae-



culum per ignem. ℣. Re qui em ae ter nam dona



e - is, Do - mine, et lux per-pe-tu-




a lu - ce - at e - is. *Repet.* Li - be - ra me, etc.


Dum cantatur praedictum Responsorium, Sacerdos, Acolytho et Diacono ministrante, accipit incensum de navicula et ponit in thuribulum; et finito ℟. Cantor cum primo Choro dicit:



Ky-ri-e e-le-i-son. Chris-



te e-le-i-son. Ky ri e



e - le-i-son.

Mox Sacerdos dicit alta voce: **Pater noster**; et secreto dicitur ab omnibus; et ipse interim accipit a Diacono vel Acolytho aspersorium Aquae benedictae, et facta profunda inclinatione Cruci, quae est ex adverso, Diacono, seu ministro genuflectente, et fimbrias pluvialis sublevante, circumiens feretrum (si transit ante Sacramentum, genuflectit), aspergit corpus defuncti; deinde reversus ad locum suum, Diacono ministrante, accipit thuribulum, et eodem modo circuit feretrum, et corpus incensat, ut asperserat: postea reddito thuribulo ei, a quo acceperat, stans in loco suo, Acolytho, seu alio ministro tenente librum apertum ante se, dicit:

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. A porta inferi. ℟. Erue, Domine, animam ejus.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cui proprium est miserere semper et parcere: te supplices exoramus pro anima famuli tui N., quam hodie de hoc saeculo migrare jussisti, ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviscaris in finem, sed jubeas eam a sanctis Angelis suscipi, et ad patriam Paradisi perduci; ut, quia in te speravit et credidit, non poenas inferni sustineat, sed gaudia aeterna possideat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si defunctus fuerit Sacerdos, in Oratione dicatur: **pro anima famuli tui Sacerdotis, quam,** etc.

Finita Oratione, corpus defertur ad sepulcrum, si tunc deferendum sit: et dum portatur, Clerici cantant Antiphonam:

In Paradisum deducant te Angeli: in tuo adventu suscipiant te Martyres, et perducant te in civitatem sanctam Jerusalem. Chorus Angelorum te suscipiat, et cum Lazaro quondam paupere aeternam habeas requiem.

Cum autem pervenerit ad sepulcrum, si non est benedictum, Sacerdos illud benedicit, dicens hanc Orationem.


OREMUS.

Deus, cujus miseratione animae fidelium requiescunt, hunc tumulum benedicere dignare, eique Angelum


tuum sanctum députa custodem: et quorum, quarumque corpora hic sepeliuntur, animas eorum ab omnibus absolve vinculis delictorum, ut in te semper cum Sanctis tuis sine fine laetentur. Per Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.


Dicta Oratione, Sacerdos Aqua benedicta aspergat, deinde incenset corpus defuncti, et tumulum.


Quod si corpus tunc ad sepulturam non deferatur, omisso Responsorio: *In Paradisum*, etc. et benedictione sepulcri, si jam est benedictum, prosequatur Officium, ut infra: quod nunquam omittitur; et intonet Antiphonam.





Benedictus Dominus Deus Israel, ° quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae.
Et erexit cornu salutis nobis, ° in domo David pueri sui.
Sicut locutus est per os Sanctorum, ° qui a saeculo sunt, Prophetarum ejus.
Salutem ex inimicis nostris, ° et de manu omnium, qui oderunt nos.
Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, ° et memorari testamenti sui sancti.
Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, ° daturum se nobis.
Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, ° serviamus illi.
In sanctitate et justitia coram ipso, ° omnibus diebus nostris.
Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis: ° praeibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.
Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, ° in remissionem peccatorum eorum.
Per viscera misericordiae Dei nostri: ° in quibus visitavit nos, oriens ex alto.
Illuminare his, qui in tenebris et umbra mortis sedent: ° ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Requiem aeternam, etc.











Postea Sacerdos dicit: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *Interim corpus aspergit.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi. ℟. Erue, Domine, animam ejus.

℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Fac, quaesumus Domine, hanc cum servo tuo defuncto (*vel* famula tua defuncta) misericordiam, ut factorum suorum in poenis non recipiat vicem, qui (*vel* quae)

tuam in votis tenuit voluntatem: ut sicut hic eum (*vel* eam) vera fides junxit fidelium turmis; ita illic eum (*vel* eam) tua miseratio societ Angelicis choris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Requiem aeternam dona ei, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat ei.

℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

℣. Anima ejus, et animae omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Deinde a sepultura in Ecclesiam, vel in Sacristiam revertentes, dicant sine cantu Antiphonam *Si iniquitates*, cum Psalmo *De profundis clamavi*, etc. pag. 72. *Requiem aeternam*, etc.

Si vero ob rationabilem causam, videlicet ob temporis angustiam, vel aliorum funerum instantem necessitatem, praedictum Officium Mortuorum cum tribus Nocturnis et Laudibus dici non potest; deposito in Ecclesia feretro cum corpore, dicatur saltem primum Nocturnum cum Laudibus, vel etiam sine Laudibus, maxime ubi ejusmodi viget consuetudo, incipiendo ab Invitatorio: *Regem, cui omnia vivunt, Venite adoremus.* Et postea omnia alia dicantur, quae supra praescripta sunt dicenda post Officium Mortuorum, et Missam.

Quod si etiam ea fuerit temporis angustia, vel alia urgens necessitas, ut unum Nocturnum cum Laudibus dici non possit, aliae praedictae Preces et suffragia numqum omittantur.

Missa vero, si hora fuerit congruens, rite pro defunctis, ut in die obitus, praesente corpore, non omittatur, nisi obstet magna diei solemnitas, aut aliqua necessitas aliter suadeat: et post Missam fiat, ut supra.

DE OFFICIO FACIENDO IN EXEQUIIS,
absente corpore defuncti, et in die tertio, septimo, trigesimo et anniversario.

Si faciendae sint Exequiae absente corpore, eo die, quo bene visum fuerit, in Ecclesia dicatur Officium Mortuorum, cum tribus Nocturnis, et Laudibus, et Antiphonis duplicatis, vel saltem unum Nocturnum cum tribus Lectionibus, et Laudibus et Missa. Post Missam, Celebrans deponit manipulum et planetam, accipit pluviale nigri coloris, et praecedentibus Subdiacono cum Cruce, et Clero, et duobus Ceroferariis cum luminaribus accensis, et duobus Acolythis, uno cum navicula incensi et thuribulo, et altero cum vasculo Aquae benedictae et aspersorio, et hoc libro Rituali, accedit cum Diacono a sinistris ad locum tumuli, et ibi a circumstante Clero cantatur ℟. **Libera me, Domine, etc.** ut pag. 275. Interim ministratur incensum, benedicitur, et imponitur in thuribulum.

Postea dicitur: **Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie elei-**

son. Sacerdos dicit **Pater noster,** et dum secreto dicitur, accipit aspersorium, circuit tumbam, aspergens, deinde incensat eodem modo, ut dictum est. Postea dicit:

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. A porta inferi. ℟. Erue, Domine, animam ejus.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Absolve, quaesumus Domine, animam famuli tui N. (*vel* famulae tuae), ut defunctus (*vel* defuncta) saeculo tibi vivat: et quae per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, tu venia misericordissimae pietatis absterge. Per Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.

Vel dicatur Oratio, quae dicta est in Missa, vel alia conveniens.

℣. Requiem aeternam dona ei, Domine.
℟. Et lux perpetua luceat ei.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

Si Officium fuerit pro pluribus defunctis, Oratio et ℣. dicantur in plurali numero: si fuerit mulier, in genere feminino: si fuerit Sacerdos, vel Episcopus, in Oratione exprimitur nomen dignitatis, etc.

Praedictus autem Officii ritus pro defunctis adultis tam Sacerdotibus et Clericis, quam saecularibus et laicis, servari debet in Officio sepulturae in die depositionis, sive in die tertio, septimo, trigesimo et anniversario.

DE EXEQUIIS PARVULORUM.

In primis admonendi sunt Parochi, ut juxta vetustam et laudabilem Ecclesiarum consuetudinem, Parvulorum corpuscula non sepeliantur in communibus et promiscuis coemeteriorum et Ecclesiarum sepulturis; sed ut pro illis in Parochialibus Ecclesiis, et illarum coemeteriis, quatenus commode fieri potest, speciales et separatos ab aliis loculos et sepulturas habeant, seu fieri curent, in quibus non sepeliantur, nisi qui baptizati fuerint infantes, vel pueri, qui ante annos discretionis obierunt.

In funere Parvulorum ut plurimum non pulsantur campanae; quod si pulsentur, non sono lugubri, sed potius festivo pulsari debent.

ORDO SEPELIENDI PARVULOS.

Cum igitur infans, vel puer baptizatus defunctus fuerit ante usum rationis, induitur juxta aetatem, et imponitur ei corona de floribus, seu de herbis aromaticis et odoriferis, in signum integritatis carnis et virginitatis; et Parochus superpelliceo et stola alba indutus, et alii de Clero, si adsint, praecedente Cruce, quae sine hasta defertur, accedunt ad domum defuncti, cum Clerico aspersorium deferente.

Sacerdos aspergit corpus, deinde dicit:

Ant. Sit nomen Domini. Psalmus 112.

Laudate pueri Dominum: * laudate nomen Domini.
Sit nomen Domini benedictum, * ex hoc nunc et usque in saeculum.
A solis ortu usque ad occasum. * laudabile nomen Domini.
Excelsus super omnes gentes Dominus,*et super coelos gloria ejus.
Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, * et humilia respicit in coelo et in terra?
Suscitans a terra inopem, * et de stercore erigens pauperem.
Ut cólloc et eum cum principibus, * cum principibus populi sui.
Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum laetantem.
Gloria Patri, etc.

Ant. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in saeculum.

Dum portatur ad Ecclesiam, dicatur Ps. 118. *Beati immaculati, etc.* ut pag. 268., et si tempus superest dici potest Ps. 148. *Laudate Dominum de coelis*, cum Pss. 149. *Cantate Domino canticum novum* et 150. *Laudate Dominum in Sanctis ejus*, et in fine *Gloria Patri etc.*

Cum autem pervenerit ad Ecclesiam, dicatur:

Ant. Hic accipiet. Psalmus 23.

Domini est terra et plenitudo ejus: * orbis terrarum et universi, qui habitant in eo.
Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina praeparavit eum.
Quis ascendet in montem Domini?*aut quis stabit in loco sancto ejus.
Innocens manibus et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.
Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo,
Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Jacob.
Attóllite portas, principes, vestras, et elevamini portae aeternales: * et introibit Rex gloriae.
Quis est iste Rex gloriae? * Dominus fortis et potens, Dominus potens in proelio.
Attóllite portas, principes, vestras, et elevamini, portae aeternales. * et introibit Rex gloriae.
Quis est iste Rex gloriae? * Dominus virtutum, ipse est Rex gloriae. Gloria Patri, etc.

Ant. Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo, quia haec est generatio quaerentium Dominum.

Postea dicitur: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *secreto. Interim corpus aspergit.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Me autem propter innocentiam suscepisti.
℟. Et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens et mitissime Deus, qui omnibus parvulis renatis fonte Baptismatis, dum migrant a saeculo, sine ullis eorum meritis, vitam íllico largiris aeternam, sicut animae hujus parvuli hodie credimus te fecisse: fac nos, quaesumus Dñe, per intercessionem beatae Mariae semper Virginis, et omnium Sanctorum tuorum, hic purificatis tibi mentibus famulari, et in Paradiso cum beatis parvulis perenniter sociari. Per Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.

Dum portatur ad tumulum, et etiamsi tunc non portetur, dicitur:

Ant. Juvenes. Psalmus 148.

Laudate Dominum de coelis: * laudate eum in excelsis.
Laudate eum omnes Angeli ejus:*laudate eum omnes Virtutes ejus.
Laudate eum sol et luna: * laudate eum omnes stellae et lumen.
Laudate eum coeli coelorum: * et aquae omnes, quae super coelos sunt, laudent nomen Domini.
Quia ipse dixit et facta sunt: * ipse mandavit et creata sunt.
Statuit ea in aeternum, et in saeculum saeculi: * praeceptum posuit et non praeteribit.
Laudate Dominum de terra: * dracones et omnes abyssi.
Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: * quae faciunt verbum ejus.
Montes et omnes colles: * ligna fructifera et omnes cedri.
Bestiae et universa pécora, * serpentes et volucres pennatae.
Reges terrae et omnes populi: *principes et omnes judices terrae.
Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini: * quia exaltatum est nomen ejus solíus.
Confessio ejus super coelum et terram:*et exaltavit cornu populi sui.
Hymnus omnibus Sanctis ejus: * filiis Israel, populo appropinquanti sibi. Gloria Patri, etc.

Ant. Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Sínite parvulos venire ad me.
℟. Talium est enim regnum coelorum.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne Deus, sanctae puritatis amator, qui animam hujus parvuli ad coelorum regnum hodie misericorditer vocare dignatus es: digneris etiam, Domine, ita nobiscum misericorditer agere, ut meritis tuae sanctissimae Passionis, et intercessione beatae Mariae semper Virginis, et omnium Sanctorum tuorum, in eodem regno nos cum omnibus Sanctis et Electis tuis semper facias congaudere. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Am.

Deinde Sacerdos corpus aspergat Aqua benedicta, et thurificet, similiter et tumulum: postea sepeliatur. Cum autem a sepultura revertuntur in Ecclesiam, dicatur:

Ant. Benedícite. Canticum trium puerorum. Dan. 13.

Benedicite omnia opera Domini Domino: * laudate et superexaltate eum in saecula.
Benedicite Angeli Domini Domino: * benedicite coeli Domino.
Benedicite aquae omnes, quae super coelos sunt, Domino: * benedicite omnes Virtutes Domini Domino.
Benedicite sol et luna Domino: * benedicite stellae coeli Domino.
Benedicite omnis imber et ros Domino: * benedicite omnes spiritus Dei Domino.
Benedicite ignis et aestus Domino: * benedicite frigus et aestus Domino.
Benedicite rores et pruina Domino: * benedicite gelu et frigus Domino.
Benedicite glacies et nives Domino: * benedicite noctes et dies Domino.
Benedicite lux et tenebrae Domino: * benedicite fulgura et nubes Domino.
Benedícat terra Dominum: * laudet et superexáltet eum in saecula.
Benedicite montes et colles Domino: * benedicite universa germinantia in terra Domino.
Benedicite fontes Domino: * benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite ceto et omnia, quae moventur in aquis, Domino : * benedicite omnes vólucres coeli Domino.
Benedicite omnes bestiae et pecora Domino : * benedicite filii hominum Domino.
Benedicat Israel Dominum:*laudet et superexaltet eum in saecula.
Benedicite sacerdotes Domini Domino : * benedicite servi Domini Domino.
Benedicite spiritus et animae justorum Domino : * benedicite sancti et humiles corde Domino.
Benedicite Ananía, Azaría, Misael Domino : ° laudate et superexaltáte eum in saecula.
Benedicámus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu : ° laudemus et superexaltemus eum in saecula.
Benedictus es, Domine, in firmamento coeli : ° et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula.

Ant. Benedicite Dominum omnes electi ejus, agite dies laetitiae, et confitemini illi.

Deinde ante Altare dicit Sacerdos:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensas: concede propitius, ut a quibus tibi ministrantibus in coelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Christum Dñm nostrum. ℟. Am.

EXEQUIARUM ORDO
PRO PATRIBUS ET FRATRIBUS O. N.

Constituto tempore, quo corpus ad Ecclesiam deferendum est, Monachi omnes in Sacrarium conveniant. Ibi Sacerdos amictus superpelliceo stolave nigra, vel etiam pluviali nigro induatur. Distribuantur cerei, vel intorticia. Mox pergant ad locum, ubi jacet defuncti corpus. Procedant duo Acolythi, unus cum thuribulo et incenso, alter cum vase Aquae benedictaė, post hos Clericus cum Cruce medius inter Acolythos duos Ceroferarios candelabra cum cereis hinc inde deferentes. Post Crucem incedant Monachi, nihil dicentes, ultimus omnium Sacerdos, qui supra.

Cum pervenerint ad feretrum, Sacerdos, Monachis circa illud existentibus, et candelas in manibus accensas habentibus, intonat absolute Antiph.: **Si iniquitates,** cum Ps. **De profundis** etc. ut pag. 72., quem Monachi alternatim prosequuntur: et in fine dicunt: **Requiem aeternam dona ei, Domine, et lux perpetua luceat ei.** Repetit postea Sacerdos totam Antiph. **Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?**

Deinde subdit: **Kyrie eleison.** Monachi respondent. **Christe eleison. Kyrie eleison.** Mox Sacerdos: **Pater noster.** quod omnes prosequuntur secreto. Interim aspergit cadaver Aqua benedicta, et incenset. Quo facto, dicit:

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. In memoria aeterna erit justus.
℟. Ab auditione mala non timebit.
℣. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.
℟. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.
℣. Non intres in judicium cum servo tuo, Domine.
℟. Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.
℣. A porta inferi. ℟. Erue, Domine, animam ejus.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Suscipe, Domine, animam famuli tui N., quam de ergastulo hujus saeculi vocare dignatus es: et libera eam de loco poenarum: ut quietis, ac lucis aeternae beatitudine perfruatur et inter Sanctos et Electos tuos in resurrectionis gloria resuscitari mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

His peractis Cadaver defertur ad Ecclesiam, procedentibus omnibus, et praecedentibus feretrum ordine, quo venerant. Sacerdos intonat Antiph. **Exultabunt Domino.** Et Cantores Psalm. **Miserere,** pag. 71. Monachis alternatim prosequentibus. Quod si tempus postulaverit, dicantur et alii Psalmi ex Offic. Mortuorum, et in fine cujuslibet Ps. dicitur, *Requiem aeternam dona ei, Domine, etc.* Et interim semper Campanae pulsentur.

Ad Ecclesiae ingressum repetitur Antiphona tota. **Exultabunt Domino ossa humiliata.** Ingressi Ecclesiam cantant Responsorium Cantoribus incipientibus, Monachis alternatim respondentibus, videlicet:

Subveníte Sancti Dei, occcurrite Angeli Domini: Suscipientes animam ejus: Offerentes eam in conspectu Altissimi. ℣. Suscipiat te Christus, qui vocavit te: et in sinum

Abrahae Angeli deducant te. Suscipientes animam ejus. ℣. Requiem aeternam dona ei, Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. Offerentes eam in conspectu Altissimi.

Deposito feretro in medio Ecclesiae, ita ut defuncti pedes, si non fuerit Sacerdos, sint versus Altare majus, si vero fuerit Sacerdos, caput sit versus ipsum Altare, et cereis accensis circa corpus, dicatur in Choro Offic. Defunct. cum Invitat. tribus Noctur. et Laud. cum Antiphonis integris ante et post Psalm. in quorum omnium fine dicitur *Requiem aeternam dona eis, Domine: et lux perpetua luceat eis*, licet pro uno tantum fiat Officium. Ad finem Officii post Antiph. Cant. *Benedictus*, etc. ut pag. 274. et seqq.

DECRETA, DECLARATIONES ET MONITA DE EXEQUIIS ET MISSIS DEFUNCTORUM.

Missae solemnes Defunctorum etiam praesente Cadavere prohibitae.

In Nativit. et Epiph. Domini, Resurrect. et Ascens. D. N. J. C., Dom. Pentec., Fest. Ss. Corp. Christi, Ss. App. Petri et Pauli, Assumpt. B. M. V. et Oum Ssorum, necnon in triduo mortis Christi.—S. R. C. 5. Julii 1618. Item in fest. Patron. Princip. Sancti Titul. Eccles. Dedic. ejusd. et quae magna pompa et populi concursu celebrantur. S. R. C. 2. Sept. 1741, 29. Jan. 1752, et 9. Apr. 1808. Addat. fest. S. Joannis Bapt. saltem ubi sit fest. in populo.

Missae solemn. Defunctor. corpore absente, sed dieb. privilegiat. †) *sc. 3tia, 7ma, etc. prohib.*

Duplicibus 1mae et 2dae classis. Dom. et Festis de praecepto. Vigilia Nativ. Dni. et Pent. Fer. 4 Ciner. et tota hebdom. maj. Tota Octava Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et Corp. Christi. S. R. C. 12. Sept. 1674, 5. Jul. 1698, 8. Mart. 1738, et 2. Sept. 1741.

Missae solemn. Defunctor. extra dies privilegiat. prohib.

Eisdem diebus, quibus prohibentur Missae privat. ut infra.

†) Dies privilegiati sunt: 1. Dies post depositionem pridie factam vesperi sine Missa Solemni. 2. Dies *quasi obitus*, quando, scil., quis primo certior fit, de morte „alicujus de gremio" procul defuncti. 3. Dies vera et accurata enumeratione tertius, septimus, vel trigesimus ab obitu seu depositione, et dies vere anniversaria obitus, vel etiam alia dies permanenter et individue a defuncto pro ejus anniversario fixa, modo tamen (quod bene notandum est), ipse defunctus obligationem pro ipso in hujusmodi diebus celebrandi imposuerit, per fundationem acceptam, vel Testamenti dispositionem. Aliquo tamen privilegio gaudent isti dies quamvis non fundati, si sint vere stricteque dies tertius, septimus, etc.; aliter autem nullo omnino.–*E. Synops. Rit. praemiss. lib. cui tit.* „Exequiae" &c. *dit. Dub.* 1841.

Die autem trigesimo vel alio privilegiato sic impedito, ejus privilegium transfertur in *proximam* diem, sive ante sive post diem veram, similiter non impeditam, in qua, etiamsi dupl. Majore cele-

brari potest Missa Solemnis ut antea, et eadem dicitur Oratio sine ulla mutatione.—*Ex Ead.*

Haec autem dicta intelligantur de una Missa Solemni de Requiem, quae quodammodo necessaria reddatur a Testamento defuncti, et exigatur ad illud adimplendum. Si enim tantum petatur a superstitibus ejus amicis, Missa etiam Solemnis *non* potest celebrari in dupl. Majore: potest autem in Ecclesiis ruralibus celebrari in dupl. Minore, si dies sit *vere* stricteque tertia, septima, trigesima, aut Anniversaria, alioquin enim *non* potest etiam in dupl. Minore.—*Synops. supra cit. pp.* xi. xii.

Missae privatae Defunctorum, etiam praesente et insepulto Cadavere.

Stricte prohibentur diebus supradictis, omnibus diebus, quibus officium fit de duplici etiam translato, et in Vig. Epiph.–*Synops. supra cit.*

Quandocunque una tantum dicitur Oratio, de praecepto dicenda est Sequentia „Dies irae": sed quando plures sunt Orationes, Sequentia dicitur aut omittitur, ad arbitrium Celebrantis.–*Synops. supra laudat. Videri potest etiam Rub. Gen. Miss. V.* 314.

1. In Missis quotidianis, quae pro defunctis celebrantur, possunt quidem dici plures orationes quam tres, sed curandum, ut sint numero impares, et aliquando pro illa *Deus veniae largitor*, impune subrogabitur alia v. g. pro patre, pro matre, etc.; dummodo, ultimo loco, dicatur illa *Fidelium.* Die 2. Sept. 1741. in Aquen. ad 4.

2. Utrum in Missa quotidiana defunctorum, pro oratione assignata primo loco, alia subrogari valeat, puta pro matre, offerente eleemosynam, etc. — S. R. C. rescribendum censuit: quoad primam orationem servetur ordo Missalis; quoad secundam detur Decretum in Aquen. diei 2. Sept. 1741, ad 4. Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 27. Aug. 1836, in Veronen. ad 7.

3. Rubrica silet circa orationes dicendas in Missa quotidiana pro defunctis. Auctores vero cum Cavaliero sustinent primam dicendam esse pro quibus applicatur, secundam ad libitum, tertiam *Fidelium*, asserentes tres orationes, in Missa positas, valere tantum pro Missa Conventuali, singulis mensibus canenda in Cathedralibus et Collegiatis. Attamen Sacerdotes generaliter semper easdem recitant orationes, nulla habita ratione pro quo applicant. Hinc quaeritur: Quae orationes, in Missa quotidiana, pro defunctis dicendae sint a Sacerdote? S. R. C. mature consideratis riteque discussis omnibus rescribendum censuit: servetur Rubricae dispositio, et detur Decretum in Aquen. diei 2. Sept. 1741, ad 4. Atque ita rescripsit et servari mandavit die 23. Sept. 1827, in Mutinen. ad xi. No. 1.—Hinc sequitur dum tres tantum dicuntur orationes, primam et tertiam in Missali assignatas nunquam mutandas esse. Secundae vero *Deus veniae largitor*, aliquando aliam impune subrogari posse. — *E. Kalend. Liturg. Dioeces. Brugens.*

S. R. C. 7. Sept. 1861 (in una Sancti Marci) declaravit Responsorium: *Libera me Domine*, canendum non esse nisi finita Missa, et conveniens esse, ut illud Cantores incipiant cum Sacerdos fuerit pluviali indutus, et Subdiaconus cum Cruce ad pedes Tumuli pervene-

rit, etiamsi castrum doloris adsit in medio Chori. N. B. Si adsit Cadaver debet prius dici *Non intres in judicium* (in qua oratione non immutatur genus etiamsi pro foemina fit officium). In Exequiis Sacerdotum canenda sunt in Absolutione Responsoria et Preces juxta Rituale. S. R. C. in Tuden. 23. Maji 1846.

In Exequiis Sacerdotum, si Cadaver non adest, Subdiaconus in Absolutione stare non debet inter feretrum et Altare. S. R. C in Veronen. 21. Jul. 1855.

Cadavera Episcoporum, Sacerdotum aliorumque Ecclesiasticorum exponenda sunt induta sacris paramentis cuique Ordini competentibus, et, si adsit cousuetudo, sic induta sepeliantur. S. R. C. 12. Nov. 1831. Consuetudo ponendi calicem in manibus Sacerdotis defuncti retineri potest. S. R. C. 23. Maji 1846.

Defunctorum Missae, insepulto corpore, celebrari possunt etiam diebus festivis cum Officio. S. R. C. 23. Maji 1603 (quod intelligendum est de unica Missa Solemni). Sepulto corpore transfertur ad diem sequentem cum eadem solemnitate. Ibid. Quod etiam militat quoad dies 3. 7. et 30. Ibid.

Defuncto tumulato ob aliquam causam vespere, potest mane sequenti fieri Officium, et Missa cantari de Requiem, etiamsi fiat de Festo duplici, exceptis tamen diebus, in quibus Missae cantatae de Requiem prohibentur absente Cadavere. S. R. C. 18. Dec. 1779.

In Defuncti laudem Oratio fieri nequit a Sermocinaturo cum stola tam in Cathredalibus, quam in aliis Ecclesiis. S. R. C. 14. Jun. 1845. „Sermocinaturus vestibus nigris indutus sine cotta.....ascendat Pulpitum". Caerem. Episc. lib. 2. cap. 11.

S. R. C. (in una Hispalen.) 16. Jan. 1677. damnavit abusum faciendi Officium de Adultis cum Missa de Angelis, etiam in duplicibus in Exequiis Parvulorum.

Tumulus, seu Castrum Doloris, in quo reconditur Cadaver puellae innuptae, sive etiam absente Cadavere, nequit contegi panno ex lana alba contexto. S. R. C. in Briocen. 21. Jul. 1855.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Parochus admonitus de aliquo Matrimonio in sua Parochia contrahendo, primum cognoscat ex his, ad quos spectat, qui et quales sint, qui Matrimonium contrahere volunt: An inter eos sit aliquod canonicum impedimentum: Utrum sponte, libere, et secundum honestatem Sacramenti velint contrahere: Utrum sint in aetate legitima, ut vir saltem quatuordecim, mulier duodecim annos expleverit; et uterque sciat rudimenta Fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant.

Noverit ex probatis Auctoribus, quae sint canonica impedimenta Matrimonii contrahendi, et quae contractum dirimant; et qui sint gradus consanguinitatis et affinitatis, et item cognationis spiritualis ex Baptismi, vel Confirmationis Sacramento contractae.

Habeat in primis ipse bene cognita praecepta illa omnia, quae in Matrimoniis rite conficiendis servari oportere, sacri Canones, prae-

cipue Sancta Synodus Tridentina jussit: dabitque operam, ut illa in Parochia sua accurate exacteque serventur.

Praesertim vero meminerit, Matrimonia inter raptorem et raptam, dum ipsa in raptoris potestate manserit, inita, nec non clandestina, et quaelibet Matrimonia, quae aliter quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus contrahuntur, ex ipsius Concilii decretis, irrita omnino, ac nulla esse.

Est autem proprius Parochus, qui adesse debet, is, in cujus Parochia Matrimonium celebratur, sive viri, sive mulieris.

Caveat praeterea Parochus, ne facile ad contrahendum Matrimonium admittat vagos ac peregrinos, et qui incertas habent sedes; neque item eos, qui antea conjugati fuerunt, ut sunt uxores militum, vel captivorum, vel aliorum, qui peregrinantur: nisi diligenter de iis omnibus facta inquisitione, et re ad Ordinarium delata, ab eoque habita de ejusmodi Matrimonii celebrandi licentia, quae gratis concedatur.

Antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho continuis diebus festis in Ecclesia inter Missarum solemnia, ad ipsius Concilii praescriptum, publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit centrahendum.

Si vero vir, et mulier Parochiae sint diversae, in utraque Parochia fiant denuntiationes: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum apponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii procedatur. Sed si quid obstat, ultra Parochus non procedat.

Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, vel alia rationabilis causa subsit, arbitrio Episcopi, Matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes, tunc de licentia Ordinarii, vel una tantum fiat denuntiatio, vel saltem Parocho, et duobus, vel tribus testibus praesentibus, Matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant: ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi aliter Ordinarius ipse expedire judicaverit.

Has autem denuntiationes Parochus facere non aggrediatur, nisi prius de utriusque contrahentis libero consensu sibi bene constet.

Si vero infra duos menses post factas denuntiationes Matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur.

Denuntiationes autem fiant hoc modo. Inter Missarum solemnia Parochus populum admoneat in hanc sententiam vulgari sermone:

Notum sit omnibus hic praesentibus, quod N. vir, et N. mulier; ex tali, vel tali familia, et Parochia, Deo adjuvante, intendunt inter se contrahere Matrimonium. Proinde admonemus omnes et singulos, ut si quis noverit aliquod consanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis spiritualis, vel quodvis aliud impedimentum inter eos esse, quod Matrimonium contrahendum invicem impediat, illud quamprimum nobis denuntiare debeat; et hoc admonemus primo, si fuerit prima; vel *secundo,* si fuerit secunda; vel *tertio,* si fuerit tertia denuntiatio.

Moneat Parochus conjuges, ut ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, neque Ma-

trimonium consumment, nec etiam simul maneant, nisi aliquibus propinquis, vel aliis praesentibus; quae benedictio a nullo alio. quam ab ipso Parocho, seu ab alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, fieri debet.

Caveat etiam Parochus, ne, quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat, sive mulier, sive etiam vir ad secundas nuptias transeat. Sed ubi ea viget consuetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, nuptiae benedicantur, ea servanda est. Sed viduae nuptias non benedicat, etiamsi ejus vir nunquam uxorem duxerit.

Matrimonium in Ecclesia maxime celebrari decet: sed si domi celebratum fuerit praesente Parocho et testibus, sponsi veniant ad Ecclesiam benedictionem accepturi, et tunc caveat Sacerdos, ne iterum a contrahentibus consensum exigat; sed tantum benedictionem illis conferat, celebrata Missa, ut infra dicetur.

Admoneantur praeterea conjuges, ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur, et ad Ss. Eucharistiam, atque ad Matrimonii Sacramentum suscipiendum pie accedant, et quomodo in eo recte et christiane conversari debeant, diligenter instruantur ex Divina Scriptura, exemplo Tobiae et Sarae verbisque Angeli Raphaelis eos edocentis, quam sancte conjuges debeant convivere.

Postremo meminerint Parochi, a Dominica I. Adventus, usque ad diem Epiphaniae, et a Feria IV. Cinerum, usque ad Octavam Paschae inclusive, solemnitates nuptiarum prohibitas esse, ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest. Nuptiae vero qua decet modestia et honestate fiant: sancta enim res est Matrimonium, sancteque tractandum.

Quae omnia fere ex sacri Concilii Tridentini decretis desumpta, et item alia, quae ibi de Matrimonio rite contrahendo praecipiuntur, sunt diligenter servanda.

RITUS CELEBRANDI MATRIMONII SACRAMENTUM.

Parochus igitur Matrimonium celebraturus, publicationibus factis tribus diebus Festis, ut dictum est, si nullum obstet legitimum impedimentum, in Ecclesia superpelliceo et alba stola indutus, adhibito uno saltem Clerico superpelliceo pariter induto, qui librum et vas Aquae benedictae cum aspersorio deferat, coram tribus, aut duobus testibus, virum, et mulierem, quos parentum, vel propinquorum suorum praesentia cohonestare decet, de consensu in Matrimonium interroget utrumque singillatim in hunc modum vulgari sermone:

N. vis accipere N. hic praesentem in tuam legitimam

uxorem juxta ritum sanctae Matris Ecclesiae?*)

Respondeat Sponsus: Volo.

Mox Sacerdos Sponsam interroget: N. vis accipere N. hic praesentem in tuum legitimum maritum juxta ritum sanctae Matris Ecclesiae?

Respondeat Sponsa: Volo.

Nec sufficit consensus unius, sed debet esse amborum, et expressus aliquo signo sensibili, sive fiat per se, sive per procuratorem.

Mutuo igitur contrahentium consensu intellecto, Sacerdos jubeat eos invicem jungere dexteras, dicens:

Ego conjungo vos in matrimonium, In nomine Patris, † et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque Provinciae ritum: postea eos aspergat Aqua benedicta. Mox benedicit annulum.

---

*) *Germanice.*

F. N. Wollet Ihr (wollen Sie) diese hier gegenwärtige N. nach dem Gebrauche der heiligen katholischen Kirche, unserer Mutter, zu Eurem (Ihrem) rechtmäßigen Weibe nehmen? R. Ich will.

F. N. Wollet Ihr (wollen Sie) diesen hier gegenwärtigen N. nach dem Gebrauche der heiligen katholischen Kirche, unserer Mutter, zu Eurem (Ihrem) rechtmäßigen Manne nehmen. R. Ich will.

Anglice:

Q. N. wilt thou take N. here present for thy lawful wife, according to the rite of our holy Mother the Chnrch? A. I will.

Q. N. wilt thou take N. here present for thy lawful husband, according to the rite of our holy Mother the Church? A. I will.

Gallice:

D. N. voulez-vous prendre N., qui est ici présente, pour votre légitime éspouse, suivant le rite de notre mére la sainte Eglise? R. Oui, je le veux.

D. Et vous, N., voulez-vous prendre N., qui est ici présente, pour votre légitime époux, suivant le rite de notre mére la sainte Eglise? R. Oui, je le veux.

BENEDICTIO ANNULI.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Bene ✝ dic, Domine, annulum hunc, quem nos in tuo nomine bene ✝ dicimus, ut quae eum gestaverit, fidelitatem integram suo sponso tenens, in pace, et voluntate tua permaneat, atque in mutua caritate semper vivat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos aspergat annulum Aqua benedicta in modum Crucis; et sponsus acceptum annulum de manu Sacerdotis, imponit in digito annulari manus sinistrae sponsae, Sacerdote dicente :

In nomine Patris, et Fi ✝ lii, et Spiritus Sancti. Amen.

Mox subjungat : ℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. ℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus, sperantes in te.
℣. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Respice, quaesumus Domine, super hos famulos tuos, et institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste, ut qui te auctore junguntur, te auxiliante serventur: Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

His expletis, si benedicendae sint nuptiae, Parochus Missam pro Sponso et Sponsa, ut in Missali Romano, celebret servatis omnibus, quae ibi praescribuntur.

Ceterum, si quae Provinciae aliis, ultra praedictas, laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utantur, eas sancta Tridentina Synodus optat retineri.

Peractis omnibus, Parochus manu sua describat in libro Matrimoniorum nomina conjugum, et testium, et alia juxta formulam praescriptam; idque, licet alius Sacerdos, vel a se, vel ab Ordinario delegatus, Matrimonium celebraverit.

Matrimonia Catholicorum cum Acatholicis non sunt benedicenda: plures enim Summi Pontifices, praesertim Clemens VIII. expresse prohibuerunt, ne hujusmodi connubiis sacerdotalis benedictio impendatur. Hinc Concilium Baltimorense Provinciale IV. in Decreto primo sic habet: „Meminerint Sacerdotes pluribus Ss. Pontificum decretis vetari, ne ullus sacer ritus fiat, vel vestis sacra adhibeatur, dum foedera hujusmodi ineuntur, quae neque intra Ecclesiam ineunda sunt." Denique S. Congregatio de Propaganda Fide, die 3. Jul. 1847. ad Patres Concilii Baltim. Provincialis VI. rescripsit matrimonia mixta nullo adhibito religioso ritu celebrari oportere.

Vide etiam Monita de Missa pro sponso et sponsa pag. 88.

———:o:———

MODUS ASSISTENDI MATRIMONIIS MIXTIS.

(In ineundis istiusmodi nuptiis, Ecclesia ea generatim omittenda indixit, per quae Catholicorum Matrimonia decorantur, inclusis etiam proclamationibus. Quod autem, ex occasione Decreti tertii Concilii Provincialis Baltimorensis VI. a S. Congregatione de Propaganda Fide rescriptum fuisse legitur, nempe, ut fiant proclamationes *etiam quando agitur de matrimoniis mixtis*, id in epistolam, amanuensis incuria, mendose irrepsisse declaravit ejusdem S. Congregationis Secretarius.)

MIXED MARRIAGES.

When it is allowed by dispensation to join in matrimony a Catholic with one who is not a Catholic, the Priest should previously ascertain that the non-catholic party has been baptized; †) or, if the

---

†) Ssmus. in Audientia habita die 20. Dec. 1837. audita relatione dubii, utrum scilicet, in praesumptione baptismi invalide collati parti haereticae matrimonium cum parte Catholica a Sede Apostolica dispensata inire cupienti, conferri debeat iterum baptisma sub conditione, dixit:

Detur Decretum latum die 17. Sept. 1830. ut sequitur. (Quaesitum erat) an Calvinistae et Lutherani in illis partibus degentes, quorum baptisma dubium et suspectum est, infideles habendi sint, ita ut inter eos et Catholicos disparitatis cultus impedimentum diri-

party be not baptized, he should procure the necessary dispensation. He should also see, that the religious liberty of the Catholic, and the catholic education of the offspring of both sexes be secured. These matters should be attended to some days before the marriage, in order to avoid pain and disappointment. When the marriage is to be performed, the Priest questions the bridegroom:

N. wilt thou take N. here present for thy lawful wife?

He answers: I will.

Q. N. wilt thou take N. here present for thy lawful husband? A. I will.

They join their right hands together; then the bridegroom says:

I take thee, N. for my lawful wife from this day forward for better for worse, for richer for poorer, in sickness and in health, until death do us part.

She says: I take thee, N. for my lawful husband from this day, etc. *as above.*

The bridegroom then puts the ring on the left hand of the bride.

The Priest then addresses the parties in such words as he may think proper, reminding them of the indissoluble nature of the marriage bond, of the holiness which becomes the married state, of the mutual harmony and affection which they should cherish, and of the earnestness wherewith they should seek to know the will of God, and to fulfil it unto salvation.

:x-o-x:

MANDATUM ILLMI. AC REVMI. ARCHIEPISCOPI.

Ut in iis, quae juxta hujus Provinciae receptum ritum, normae pro matrimonio celebrando adjiciuntur uniformitas habeatur, injungimus, ut omnes hujus Dioeceseos Sacerdotes formulis, quae sequuntur tantum in posterum utantur:

1. Post praestitum a sponsis consensum mutuum, manibus dexteris junctis, primum sponsus, deinde sponsa clara voce hisce utitur verbis:

---

mens adesse censeatur? Cui instantiae responsum fuit: 1. Quoad haereticos, quorum sectae ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis. 2. Quoad alios, qui juxta eorum ritualia baptizant valide, validum censendum esse baptisma. Quod si dubium persistat, etiam in primo casu, censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii. 3. Si autem certe cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium. — Hisque omnibus Ssmus. superaddi mandavit: in tertio casu praefati decreti respiciente nullitatem certam baptismi in parte haeretica, recurratur in casibus particularibus.

I, N. N. take thee N. N. for my lawful wife (husband), to have and to hold from this day forward, for better for worse, for richer for poorer, in sickness and in health, till death do us part.

2. Deinde Sacerdos dicit „*ego conjungo vos, etc.*

3. Dum sponsae digito annulum imponit sponsus dicit:

With this ring I thee wed, and I plight unto thee my truth, in the name of the Father, and of the Son, and of the Holy Ghost. Amen.

4. In matrimoniis mixtis serventur, quae in parvo Ritualis compendio (vide supra pag. 296.) continentur: sed post recitatam formulam contractus, poterit dicere Sacerdos:

By the authority committed to me, I pronounce you united in the bonds of matrimony;

Et dum imponitur annulus, sponsus ad sponsam:

With this ring I thee wed, and I plight unto thee my truth.

5. Inseratur hoc folium Ritualis Compendio, in loco.

Datum Baltimorae, MARTINUS JOANNES,
in Festo Paschatis Domini, 1867. *Arch. Baltim.*

———o———

DE BENEDICTIONE MULIERIS POST PARTUM.

Si qua puerpera post partum, juxta piam ac laudabilem consuetudinem, ad Ecclesiam venire voluerit, pro incolumitate sua Deo gratias actura, petieritque a Sacerdote benedictionem, ipse superpelliceo et stola alba indutus, cum ministro aspergillum deferente, ad fores Ecclesiae accedat, ubi illam foris ad limina genuflectentem et candelam accensam in manu tenentem, Aqua benedicta aspergat, deinde dicat:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

Antiph. **Haec accipiet** Psalm. 23. *Domini est terra, etc.* pag. 284. et totus cum *Gloria Patri, etc.*

Et repetitur Antiph. **Haec accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo: quia haec est generatio quaerentium Dominum.**

Deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem stolae, eam introducit in Ecclesiam, dicens:

Ingredere in templum Dei, adora Filium beatae Mariae Virginis, qui tibi foecunditatem tribuit prolis.

Et ipsa ingressa, genuflectit coram Altari, et orat, gratias agens Deo de beneficiis sibi collatis; et Sacerdos dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvam fac ancillam tuam, Domine.
℟. Deus meus, sperantem in te.
℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eam.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocére ei.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui per beatae Mariae Virginis partum fidelium parientium dolores in gaudium vertisti: respice propitius super hanc famulam tuam, ad templum sanctum tuum pro gratiarum actione laetam accedentem, et praesta, ut post hanc vitam ejusdem beatae Mariae meritis et intercessione, ad aeternae beatitudinis gaudia cum prole sua pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde illam aspergit iterum Aqua benedicta in modum Crucis, dicens:

Pax, et benedictio Dei omnipotentis, Patris et Fi ✝ lii et Spiritus Sancti, descendat super te et maneat semper. Am.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Pontifex infantes, pueros, vel alios sacri baptismatis unda perfusos, confirmare volens, paratus supra rochetum, vel, si sit Regularis, supra superpelliceum, amictu, stola, pluviali albi coloris, et mitra, accedit ad faldistorium ante medium Altaris, aut in alio convenienti loco sibi paratum; et in eo sedens, renibus Altari, et facie populo versis, baculum Pastoralem in sinistra tenens; populum coram se

stantem admonet, quod nullus alius, nisi solus Episcopus, Confirmationis ordinarius minister est.—Nullus confirmatus debet reconfirmari.—Nullus, qui non sit confirmatus, potest esse in confirmatione patrinus, nec pater, aut mater, maritus, aut uxor.—Nullus excommunicatus, interdictus, vel gravioribus facinoribus alligatus, aut christianae fidei rudimentis non edoctus, ingerat se ad percipiendum hoc Sacramentum, vel ad tenendum confirmandum.—Adulti deberent prius peccata confiteri, et postea confirmari, vel saltem de mortalibus, si in ea inciderint, conterantur.—Hoc Sacramento contrahitur spiritualis cognatio, impediens matrimonium contrahendum, et dirimens jam contractum; quae cognatio confirmantem, et confirmatum, illiusque patrem, et matrem, ac tenentem non egreditur.—Nullus praesentet nisi unum, aut duos, non plures, nisi aliter necessitas suadeat, arbitrio Episcopi. — Confirmandi deberent esse jejuni.— Confirmato debet ligari frons, et sic manere quousque Chrisma desiccetur, vel extergatur. — Proinde unusquisque confirmandus portet lineam vittam mundam, cum qua ligetur caput. — Nullus confirmatus discedat, nisi benedictione accepta, quam Pontifex post omnium confirmationem dabit.—Infantes per patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dextris. Adulti vero, seu alii majores ponant pedem suum super pedem dextrum patrini sui. Et ideo, neque masculi feminis patrini, neque feminae masculis matrinae esse deberent.

Quibus per ordinem ante Pontificem dispositis, Pontifex sedens lavat manus, deinde deposita mitra surgit, et stans versa facie ad confirmandos, junctis ante pectus manibus, confirmandis genua flectentibus, et manus ante pectus junctas tenentibus, dicit:

Spiritus Sanctus superveniat in vos, et virtus Altissimi custodiat vos a peccatis. ℟. Amen.

Deinde signans se manu dextra a fronte ad pectus signo Crucis, dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Tunc extensis versus confirmandos manibus, dicit:

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua et Spiritu Sancto; quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum Sanctum Paraclitum de coelis. ℟. Amen.

Spiritum sapientiae, et intellectus. ℟. Amen.
Spiritum consilii, et fortitudinis. ℟. Amen.
Spiritum scientiae, et pietatis. ℟. Amen.

Adimple eos Spiritu timoris tui, et consigna eos signo Cru ✝ cis Christi, in vitam propitiatus aeternam. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Pontifex sedens super faldistorium praedictum, vel etiam, si multitudo confirmandorum id exegerit, dispositis illis per ordinem super gradus presbyterii, vel alibi; Pontifex stans cum mitra, illos confirmat per ordinem genuflexos, et uno ordine confirmato, illi surgunt, et alii genuflectunt, et confirmantur, et sic usque in finem. Et Pontifex inquirit sigillatim de nomine cujuslibet confirmandi sibi per patrinum, vel matrinam flexis genibus praesentati, et summitate pollicis dextrae manus Chrismate intincta, dicit:

N. Signo te signo Cru ✝ cis: *quod dum dicit, producit pollice signum Crucis in frontem illius; deinde prosequitur:* Et confirmo te Chrismate salutis. In nomine Pa ✝ tris, et Fi ✝ lii, et Spiritus ✝ Sancti. ℟. Amen.

Deinde leviter eum in maxilla caedit, dicens: Pax tecum.

Omnibus confirmatis, Pontifex tergit cum mica panis, et lavat pollicem, et manus super pelvim. Deinde aqua lotionis cum pane fundatur in piscinam sacrarii. Interim dum lavat manus, cantatur sequens Antiphona, vel legitur a ministris, quod etiam in similibus servari debet.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem. ℣. Gloria Patri. ℟. Sicut erat, etc. *Deinde repetitur Antiphona.* Confirma hoc Deus. *Qua repetita, Pontifex deposita mitra surgit, et stans versus ad Altare, junctis ante pectus manibus, dicit:*

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde junctis adhuc ante pectus manibus, et omnibus confirmatis devote genua flectentibus, dicit:

OREMUS.

Deus, qui Apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum, et per eos, eorumque successores, ceteris fidelibus tradendum esse voluisti: respice propitius ad humilitatis nostrae famulatum; et praesta, ut eorum corda, quorum frontes sacro Chrismate delinivimus, et signo sanctae Crucis signavimus, idem Spiritus Sanctus in eis superveniens, templum gloriae suae dignanter inhabitando perficiat. Qui cum Patre, et eodem Spiritu Sancto vivis, et regnas Deus, in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde dicit:

Ecce sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum.

Et vertens se ad confirmatos, faciens super eos signum Crucis, dicit:

Bene ✝ dicat vos Dominus ex Sion, ut videatis bona Jerusalem omnibus diebus vitae vestrae, et habeatis vitam aeternam. ℟. Amen.

Expedita itaque Confirmatione, Pontifex sedens, accepta mitra, patrinis et matrinis annuntiat, quod instruant filios suos bonis moribus, quod fugiant mala, et faciant bona, et doceant eos *Credo in Deum*, et *Pater noster*, et *Ave Maria*, quoniam ad hoc sunt obligati.

Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter quocunque die, hora et loco, ex causa ad arbitrium Episcopi.

RITUS BENEDICENDI ET IMPONENDI primarium lapidem pro Ecclesia aedificanda, servandus a Sacerdote facultatem habente ab Episcopo.

Ecclesiam ex Episcopi auctoritate tantum, juxta sacrorum Cánonum decreta, aedificari fas est. Si vero Sacerdos ejus aedificationis primarium lapidem benedicendi potestatem habens, ejusmodi functionem peragat, hunc ritum servabit.

Pridie quam primarius lapis benedicatur, ligneam Crucem in loco, ubi debet esse Altare, figat ipse, vel alius Sacerdos. Sequenti vero die lapis in Ecclesiae fundatione ponendus, qui debet esse quadratus, et angularis, benedicatur hoc modo.

Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus et Clericis, sal et aquam benedicit, nisi prius in promptu habeat jam benedictam ordinaria benedictione, ut supra pag. 90., et interim, dum cantatur a Clericis Antiphona cum Psalmo sequenti, aspergit locum, ubi Crux posita est, cum Aqua benedicta.

Antiphona. Signum salutis pone, Domine Jesu Christe, in loco isto : et non permittas introíre angelum percutientem.

Psalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! * concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, et caro mea, * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum, * Rex meus et Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua, Domine: * in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: * ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine, Deus virtutum, exaudi orationem meam : * auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster aspice, Deus: * et réspice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis, * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, et veritatem díligit Deus: * gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: * Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te. Gloria Patri, etc.

Finito Psalmo, Sacerdos versus ad locum per eum aspersum, dicit:

OREMUS.

Domine Deus, qui licet coelo et terra non capiaris, domum tuam dignaris habere in terris, ubi nomen tuum jugiter invocetur: locum hunc, quaesumus, beatae Mariae semper Virginis, et beati N. (*nominando Sanctum, vel Sanctam, in cujus honorem ac nomen fundabitur Ecclesia*), omniumque Sanctorum intercedentibus meritis, sereno pietatis tuae intuitu visita, et per infusionem gratiae tuae, ab omni inquinamento purifica, purificatumque conserva ; et qui dilecti tui David devotionem in filii sui Salomonis opere complevisti, in hoc opere desideria nostra perficere digneris, effugiantque omnes hinc nequitiae spirituales. Per Dñum nostrum Jesum Christum, etc.

Postea stans benedicit primarium lapidem, dicens:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.
℣. Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes.
℟. Hic factus est in caput ángulí.
℣. Tu es Petrus.
℟. Et super hanc petram aedificábo Ecclesiam meam.
℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.
℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui es verus omnipotens Deus, splendor et imago aeterni Patris et vita aeterna: qui es lapis angularis de monte sine manibus abscíssus, et immutabile fundamentum: hunc lapidem collocandum in tuo nomine confirma; et tu, qui es principium et finis, in quo principio Deus Pater ab initio cuncta creavit, sis, quaesumus, principium, et incrementum et consummatio ipsius operis, quod debet ad laudem et gloriam tui nominis inchoari. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Am.

Tunc aspergit lapidem ipsum Aqua benedicta, et accepto cultro, per singulas partes sculpit in eum signum Crucis, dicens:

In nomine Pa † tris, et Fi † lii, et Spiritus † Sancti. ℟. Am.

Quo facto dicitur: OREMUS.

Bene † dic, Domine, creaturam istam lapidis, et praesta per invocationem sancti tui Nominis: ut quicumque ad hanc Ecclesiam aedificandam pura mente auxilium dederint, corporis sanitatem et animae medelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea dicantur Litaniae ordinariae (pag. 240.) sine Orationibus in fine positis: quibus dictis, parato caemento, et caementario assistente, Sacerdos inchoat, Clericis prosequentibus, Antiphonam:

Mane surgens Jacob, erigebat lapidem in titulum: fundens oleum desuper, votum vovit Domino: Vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam.

Psalmus 126.

Nisi Dominus aedificaverit domum, * in vanum laboraverunt, qui aedificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem, * frustra vigilat, qui custodit eam.
Vanum est vobis ante lucem surgere: * surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.
Cum dederit dilectis suis somnum: * ecce haereditas Domini filii: merces fructus ventris.
Sicut sagittae in manu potentis: * ita filii excussorum.
Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis: * non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta. Gloria Patri, etc.

Quo dicto, Sacerdos stans tangit, et ponit ipsum primarium lapidem in fundamento, dicens:

In fide Jesu Christi collocamus Lapidem istum primarium in hoc fundamento, in nomine Pa ✝ tris, et Fi ✝ lii, et Spiritus ✝ Sancti, ut vigeat vera fides hic, et timor Dei, fraternaque dilectio; et sit hic locus destinatus orationi, et ad invocandum, et laudandum nomen ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. ℞. Amen.

Interim caementarius locat ipsum lapidem cum caemento: postea Sacerdos spargit super ipsum lapidem Aquam benedictam, dicens:

Asperges me, Domine, hyssópo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Psalm. 50. *Miserere mei, Deus*, p. 71. dicitur totus cum *Gloria Patri.*

Quo dicto, Sacerdos spargit Aquam benedictam per omnia fundamenta, si sunt aperta: si vero non sunt aperta, circuit aspergendo fundamenta Ecclesiae designata. Et incipiens aspergere, inchoat Antiphonam, Clero prosequente.

Antiphona. O quam metuendus est locus iste! Vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta coeli. Psalmus 86.

Fundamenta ejus in montibus sanctis: * diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.
Gloriosa dicta sunt de te, * civitas Dei.
Memor ero Rahab et Babylonis * scientium me.
Ecce alienígenae, et Tyrus, et populus Æthiopum,*hi fuerunt illic.
Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea, * et ipse fundavit eam Altissimus?
Dominus narrabit in scripturis populorum, et principum: * horum, qui fuerunt in ea.
Sicut laetantium omnium, * habitatio est in te. Gloria Patri, etc.

Antiphona. O quam metuendus est locus iste! Vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta coeli.

Interim aspergendo procedit usque ad fundamenta aperta, seu designatá, et repetita Antiphona, stans dicit:

OREMUS. Ministri: **Flectamus genua.** ℟. **Levate.**

Omnipotens, et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam prae ceteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine, digne, perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur: quaesumus immensam clementiam tuam, ut quidquid modo visitaturi sumus, visites: et quidquid benedicturi sumus, bene ✝ dicas: sitque ad nostrae humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga daemonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum Dñum nostrum. ℟. Am.

Deus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum aeternum Majestati tuae condis habitaculum: da aedificationi tuae incrementa coelestia: ut quod te jubente fundatur, te largiente perficiatur. Per Christum Dñum nostrum. ℟. A.

Si Episcopus celebret, utitur alia formula ut in Pontificali.

RITUS BENEDICENDI NOVAM ECCLESIAM, seu Oratorium publicum, ut ibi Sanctissimum Missae Sacrificium celebrari possit.

Sacerdos novam Ecclesiam de licentia Episcopi benedicturus, ut in ea Divinum Sacrificium Missae rite celebretur, stola ac pluviali albi coloris indutus, aliquot Sacerdotibus et Clericis adhibitis, praelata Cruce media inter duos Clericos deferentes cereos accensos, mane procedit ad primariam Ecclesiae, vel Oratorii januam: ubi stans capite aperto, conversus ad eam, dicit absolute Orationem:

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde inchoat Antiphonam: *Asperges me, etc.* et Clerus alternatim dicit Psalm. 50. *Miserere mei, etc.* pag. 71. in fine *Gloria Patri.*

Interim circumdant exterius Ecclesiam (quae intus debet esse vacua et nuda, et pariter Altaria nuda, excluso populo, donec absoluta sit benedictio), et Sacerdos accepto aspergillo ex herba hyssopi, ad ejus dexteram se convertens, parietes Ecclesiae in superiori parte, et in fundamentis, cum Aqua benedicta aspergit, dicens:

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Reversi ad locum, unde Processio initium habuit, repetita Antiphona a Clero, Sacerdos stans ut prius versus Ecclesiam, dicit:

OREMUS. Ministri: **Flectamus genua.** ℟. **Levate.**

ORATIO.

Domine Deus, qui licet coelo et terra non capiaris, domum tuam dignaris habere in terris, ubi nomen tuum jugiter invocetur: locum hunc, quaesumus, beatae Mariae semper Virginis, et beati N., omniumque Sanctorum intercedentibus meritis, sereno pietatis tuae intuitu visita, et per infusionem gratiae tuae ab omni inquinamento purifica, purificatumque conserva; et qui dilecti tui David devotionem in filii sui Salomonis opere complevisti, in hoc opere desideria nostra perficere digneris, effugiantque omnes hinc nequitiae spirituales. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Qua finita Oratione, omnes bini in Ecclesiam intrantes, ad Altare majus procedunt, Litanias (p. 240.) decantantes. Ubi dictum fuerit: *Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, Te rogamus, audi nos*, surgit Sacerdos, et intelligibili voce dicit:

Ut hanc Ecclesiam, et Altare ad honorem tuum, et nomen Sancti tui N., purgare, et bene ☩ dicere digneris, Te rogamus, audi nos.

Cum dicit, *benedicere*, manu dextera benedicit Ecclesiam, et Altare: deinde, ut prius, genuflectit donec perficiantur Litaniae, et Cantores prosequuntur:

Ut nos exaudire digneris, Te rogamus, audi nos.
Filii Dei, Te rogamus, audi nos.
Agnus Dei, qui tollis, etc.

Dicto ultimo, *Kyrie eleison*, Sacerdos stans, dicit:

OREMUS. Ministri: **Flectamus genua.** ℟. **Levate.**

Praeveniat nos, quaesumus Domine, misericordia tua: et intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementia tuae propitiationis anticipet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum distans ab Altari congruenti spatio genuflexus, et se signans, dicit: Deus, in adjutorium meum intende, *et statim surgit, Clero respondente:* Domine, ad adjuvandum

me festina; *ipse vero stans dicit:* Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. *Chorus respondet:* Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sacula saeculorum, Amen.

Postea Sacerdos dicit: **OREMUS.** Ministri: **Flectamus genua.** ℞. **Levate.**

ORATIO.

Omnipotens, et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam prae ceteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine digne, perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur: quaesumus immensam clementiam tuam, ut quidquid modo visitaturi sumus, visites; et quidquid benedicturi sumus, bene ✝ dicas: sitque ad nostrae humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga daemonum, Angeli pacis ingressus. Per Dominum, etc.

His dictis, inchoat Antiphonam:

Benedic, Domine, domum istam nomini tuo aedificatam, cum tribus Psalmis sequentibus, videlicet. Psalmus 119.

Ad Dominum, cum tribularer, clamavi: * et exaudivit me.

Domine, libera animam meam a labiis iniquis,*et a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, * ad linguam dolosam.

Sagittae potentis acutae, * cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: Habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.

Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: * cum loquebar illis, impugnabant me gratis. Gloria Patri, etc. Psalmus 120.

Levavi oculos meos in montes, * unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino, * qui fecit coelum et terram.

Non det in commotionem pedem tuum: * neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet, * qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua, * super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: * custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum: * ex hoc nunc et usque in saeculum. Gloria Patri, etc. Psalmus 121.

Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi *in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri, * in atriis tuis, Jerusalem.

Jerusalem, quae aedificatur ut civitas: * cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: * testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in judicio, * sedes super domum David.
Rogate, quae ad pacem sunt Jerusalem: * et abundantia diligentibus te.
Fiat pax in virtute tua: * et abundantia in turribus tuis.
Propter fratres meos, et proximos meos, * loquebar pacem de te.
Propter domum Domini Dei nostri, *quaesivi bona tibi. Gloria, etc.

Antiphona. Benedic, Domine, domum istam nomini tuo aedificatam.

Interim aspergit interius parietes in parte superiori et inferiori, inchoans aspersionem a parte Evangelii, dicens: *Asperges me, etc.* tum ad Altare reversus, dicit:

OREMUS. Ministri: **Flectamus genua.** ℟. **Levate.**

Deus, qui loca nomini tuo dicanda sanctificas, effunde super hanc orationis domum gratiam tuam: ut ab omnibus hic nomen tuum invocantibus auxilium tuae misericordiae sentiatur. Per Dominum. ℟. Amen.

His peractis, dicitur Missa de tempore occurrenti, vel de Sancto.

Ecclesia vero, quamvis a simplici Sacerdote, ut supra, sit benedicta, ab Episcopo tamen consecranda est.

RITUS RECONCILIANDI ECCLESIAM violatam, si nondum erat ab Episcopo consecrata.

Ecclesiae violatae reconciliatio per Sacerdotem ab Episcopo delegatum fiat hoc modo. Altare Ecclesiae omnino nudetur, provideaturque, ut Ecclesia possit libere circumiri tam exterius, quam interius, si fieri potest. Paretur vasculum cum Aqua benedicta, et aspergillum de herba hyssopo factum. Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali albo, adhibitis aliquot Sacerdotibus et Clericis, procedit ad primariam Ecclesiae portam: ubi stans, Antiphonam incipit, dicens, Clero prosequente: **Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.** Psalmus **Miserere, etc.** pag. 71. totus cum **Gloria Patri.** Quo finito, Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona, et Psalmus dicuntur, Sacerdos cum Aqua benedicta aspergit in circuitu extrinsecus Ecclesiam, et Coemeterium, simul aspergendo alternatim ad parietes Ecclesiae, ac ad terram Coemeterii, praesertim ad loca contaminata. Quo facto, redit ad locum, ubi incepit aspergere, et stans dicit:

OREMUS.

Omnipotens, et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam prae ceteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine digne, perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur: quaesumus immensam clementiam tuam, ut quod

modo visitaturi sumus, visites, et quidquid benedicturi sumus, bene † dicas: sitque ad nostrae humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga daemonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos incipit Litanias (pag. 240.), et ingreditur Ecclesiam cum Clero, cantando eas: acceditque ante Altare majus, coram quo genuflectit: cumque dictum fuerit: *Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, Te rogamus, audi nos,* Sacerdos surgit, et clara voce dicit:

Ut hanc Ecclesiam, et Altare hoc, ac Coemeterium purgare, et reconci † liare digneris, Te rogamus, audi nos.

Quibus dictis, rursus genuflectit, et Litaniae perficiuntur. Quibus finitis, Sacerdos versus ad dictum Altare dicit:

OREMUS. Et Ministri: **Flectamus genua.** ℟. **Levate.**

Praeveniat, nos, quaesumus Domine, misericordia tua: et intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementia tuae propitiationis anticipet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos genuflectit ante Altare, et se signo Crucis muniens, clara voce dicit: Deus, in adjutorium meum intende, *tum surgit, et Chorus, seu adstantes Clerici respondent:* Domine, ad adjuvandum me festina; *et Sacerdos stans, dicit:* Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. ℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Quo dicto, Sacerdos inchoat, Clero prosequente, Antiphonam:

Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus. Psalmus 67.

In Ecclesiis benedicite Deo Domino, ° de fontibus Israel.
Repetitur Antiphona.

Ibi Benjamin adolescentulus, ° in mentis excessu.
Repetitur Antiphona.

Principes Juda, duces eorum: ° Principes Zabulon, Principes Nephtali. Repetitur Antiphona.

Manda, Deus, virtuti tuae: ° confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis. Repetitur Antiphona.

A templo sancto tuo in Jerusalem, ° tibi offerent reges munera.
Repetitur Antiphona.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: ° ut excludant eos, qui probati sunt argento.

Repetitur Antiphona.

Dissipa Gentes, quae bella volunt: venient legati ex Aegypto: ° Aethiopia praeveniet manus ejus Deo.

Repetitur Antiphona.

Regna terrae, cantate Deo: ° psallite Domino.

Repetitur Antiphona.

Psallite Deo, qui ascendit super coelum coeli, ° ad Orientem.

Repetitur Antiphona.

Ecce dabit voci suae vocem virtutis: date gloriam Deo super Israel: ° magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus.

Repetitur Antiphona.

Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae: ° benedictus Deus.

Et non dicitur *Gloria Patri*, sed Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona et Psalmi praedicti dicuntur, Sacerdos circuit Ecclesiam intrinsecus aspergendo: aspergit etiam specialiter loca contaminata. Quo facto, stans in Presbyterio versus ad Altare, dicit:

Deus, qui in omni loco dominationis tuae clemens et benignus purificator assistis: exaudi nos, quaesumus, et concede, ut in posterum inviolabilis hujus loci permaneat benedictio: et tui muneris beneficia, universitas fidelium, quae supplicat, percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde dicitur Missa de die occurrenti.

Simplex Sacerdos tantum ex privilegio Sedis Apostolicae, potest Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare, et tunc utatur ritu in Pontificali praescripto; procedatque indutus amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali albi coloris, adhibitis secum aliis Presbyteris, et Clericis superpelliceis indutis cum Aqua ab Episcopo ad hunc usum rite benedicta.

———:o:———

RITUS BENEDICENDI NOVUM CŒMETERIUM
per Sacerdotem ab Episcopo delegatum.

Pridie quam fiat benedictio, ponitur in medio Coemeterii benedicendi lignea Crux, alta ad staturam hominis, et ante ipsam Crucem in terra figitur paxillus tridens ligneus altus ad cubitum unum, aptus ad affigendum illi tres candelas.

Sequenti die mane Sacerdos in Sacristia paratus amictu, alba, cingulo, stola, ac pluviali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus et Clericis indutis superpelliceis, qui deferant vasculum Aquae benedictae, aspergillum, et thuribulum cum incensi navicula, et hoc Rituali libro, et tribus candelis cereis, procedit ad Coemeterium benedicendum, ante Crucem in medio positam, et affiguntur, et ac-

cenduntur tres candelae super ligneum paxillum: et Sacerdos ante Crucem et candelas stans, discooperto capite, dicit:

OREMUS.

Omnipotens Deus, qui es custos animarum, et tutela salutis, fides credentium: respice propitius ad nostrae servitutis officium, et ad introitum nostrum purgetur, bene ✝ dicatur, et sancti ✝ ficetur hoc Coemeterium, ut humana corpora hic post vitae cursum quiescentia, in magno judicii die simul cum felícibus animabus mereantur adipisci vitae perennis gaudia. Per Christum Dñm nostrum. ℟. Am.

Mox ante ipsam Crucem omnes genibus flexis dicunt Litanias ordinarias (pag. 240.), incipiente Cantore, ceteris respondentibus; et cum dictum fuerit: *Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, Te rogamus, audi nos,* Sacerdos surgit, et clara voce dicit, producens manu signum Crucis:

Ut hoc Coemeterium purgare, et bene ✝ dicere digneris, Te rogamus, audi nos.

Deinde Sacerdos, ut prius, genuflectit, et Litaniae perficiuntur. Quibus finitis, surgunt omnes, et Sacerdos Crucem aspergit Aqua benedicta, dicens Antiphonam:

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor. Psalm. *Miserere*, pag. 71., dicitur totus ab adstantibus, cum *Gloria Patri.* Quo dicto, repetitur Antiphona. Dum dicitur Psalmus, Sacerdos circuit, et perambulat totum Coemeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique Aqua benedicta: quo facto, redit ante Crucem, et ad ipsam respiciens, dicit:

OREMUS.

Deus, qui es totius orbis conditor, et humani generis Redemptor, cunctarumque creaturarum visibilium et invisibilium perfectus dispositor: te supplici voce, ac puro corde exposcimus, ut hoc Coemeterium, in quo famulorum famularumque tuarum corpora quiescere debent, post currícula hujus vitae labentia, pur ✝ gare, bene ✝ dicere, et sancti ✝ ficare digneris: quique remissionem omnium peccatorum per tuam magnam misericordiam in te confidentibus praestitisti, corporibus quoque eorum in hoc Coemeterio quiescentibus, et tubam primi Archangeli expectantibus, consolationem perpetuam largiter impertire. Per Christum Dñum nostrum. ℟. Am.

Tunc figit in summitate Crucis unam ex tribus candelis ardentibus, et alias duas similiter ardentes in duobus brachiis ejusdem Crucis. Deinde incensat ipsam Crucem, et aspergens Aqua benedicta, redit cum ministris in sacristiam.

Si Episcopus celebret, utitur alia formula ut in Pontificali.

———o:o:o———

ORDO RECONCILIANDI CŒMETERIUM violatum, sive Ecclesiae contiguum sit, sive separatum, ubi Ecclesia non est polluta.

Mane diei, qua facienda est reconciliatio, Sacerdos, si ab Episcopo facultatem habeat, adhibitis aliis Sacerdotibus et Clericis indutis superpelliceis, in sacristia, aut alio decenti loco vestitus amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali albi coloris, accedit ad medium Coemeterii, Clerico vasculum Aquae benedictae, et aspergillum deferente, et ibi super tapete genuflectit una cum Ministris, et Cantores, aliique omnes genibus flexis, dicant Litanias (pag. 240.). In quibus cum dictum fuerit: *Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, Te rogamus, audi nos*, Sacerdos surgit, et manu dextera producens signum Crucis super Coemeterium, clara voce dicit:

Ut hoc Coemeterium recon ✝ ciliare, et sancti ✝ ficare digneris, Te rogamus, audi nos.

Quibus dictis, ut prius, genuflectit, Cantoribus Litanias perficientibus. Quibus finitis, surgunt omnes, et Sacerdos accepto aspergillo cum Aqua benedicta, inchoat Antiphonam: **Asperges me, Domine, hyssopo,** Clero prosequente, **et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.** Psalmus **Miserere, etc.** pag. 71. dicitur totus sine *Gloria Patri.* In fine repetitur Antiphona, *Asperges me, etc.* Dum haec dicuntur, Sacerdos circuit totum Coemeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique Aqua benedicta, praesertim in loco, ubi violatio commissa est. Quo peracto, redit ad locum, ubi Litaniae dictae fuerunt, et ibi stans dicit:

OREMUS. Et Ministri: **Flectamus genua.** ℟. **Levate.**

Domine pie, qui agrum figuli pretio Sanguinis tui in sepulturam peregrinorum comparari voluisti, quaesumus, dignanter reminiscere clementissimi hujus mysterii tui. Tu es enim, Domine, figulus noster: tu quietis nostrae ager: tu agri hujus pretium. Tu dedisti etiam, et suscepisti. Tu de pretio tui vivífici Sanguinis nos requiescere donasti. Tu ergo, Domine, qui es offensionis nostrae clementissimus indultor, expectantissimus judicator, judicii tui superabundantissimus miserator, judi-

cium tuae justissimae severitatis abscondens post miserationem tuae piae redemptionis, adesto exauditor, et effector nostrae reconciliationis: hocque Coemeterium peregrinorum tuorum coelestis patriae incolatum expectantium, benignus purifica et reconcilia; et hic tumulatorum et tumulandorum corpora, de potentia, et pietate tuae resurrectionis ad gloriam incorruptionis non damnans, sed glorificans resuscita. Qui venturus es judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℞. Amen.

DE PROCESSIONIBUS.

Publicae sacraeque Processiones, seu supplicationes, quibus ex antiquissimo Ss. Patrum instituto Catholica Ecclesia vel ad excitandam Fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias agendas, vel ad Divinum auxilium implorandum uti consuevit, qua par est religione celebrari debent; continent enim magna ac Divina mysteria, et salutares Christianae pietatis fructus eas pie exequentes a Deo consequuntur: de quibus Fideles praemonere et erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, Parochorum officium est.—Videant in primis Sacerdotes, aliique Ecclesiastici Ordinis, ut in his Processionibus ea modestia ac reverentia tum ab ipsis, tam ab aliis adhibeatur, quae piis et religiosis hujusmodi actionibus maxime debetur.—Omnes decenti habitu, superpelliceis, vel aliis sacris vestibus, sine galeris, nisi pluvia cogente, induti, graviter, modeste, ac devote bini suo loco procedentes, sacris precibus ita sint intenti, ut remoto risu, mutuoque colloquio, et vago oculorum aspectu, populum etiam ad pie, devoteque precandum invitent.—Laici a Clericis, feminae a viris separatae, orantes prosequantur.—Praeferatur Crux, et, ubi fuerit consuetudo, vexillum sacris Imaginibus insignitum, non tamen factum militari, seu triangulari forma.—Edendi ac bibendi abusum, secumque esculenta et poculenta deferendi in sacris Processionibus, agrisque lustrandis, et suburbanis Ecclesiis visitandis, tollere Parochi studeant; ac Fideles, praesertim die Dominica, quae proxime Rogationes antecedit, quam haec dedeceat corruptela, saepius admoneant.—Processiones prius fieri debent, deinde Missa solemniter celebrari: nisi aliter ob gravem causam interdum Ordinario, vel Clero videatur.—Processiones autem quaedam sunt ordinariae, quae fiunt certis diebus per annum, ut in festo Purificationis B. Mariae semper Virginis, et in Dominica Palmarum, et in Litaniis Majoribus in festo S. Marci, et in Minoribus Rogationum triduo ante Ascensionem Domini, et in festo Ss. Corporis Christi, vel aliis diebus pro consuetudine Ecclesiarum.—Quaedam vero sunt extraordinariae, ut quae variis, ac publicis Ecclesiae de causis in dies indicuntur.

ORDO SERVANDUS IN LITANIARUM
Majorum Processione, quae in festo S. Marci celebratur.

Clerus, et populus hora statuta, mane in Ecclesia congregati, omnes contrito et humili corde Deum flexis genibus paulisper precentur. Sacerdos pluviali cum ministris, vel saltem superpelliceo et stola violacei coloris sit indutus: cujus coloris habitu in reliquis Processionibus semper utatur, praeterquam in Processionibus Corporis Christi, et quae fiunt solemnibus diebus, vel in gratiarum actionem; quibus diebus utitur colore propriae solemnitati congruenti. Ceteri vero Sacerdotes et Clerici superpelliceis induti, sequentem Antiphonam stantes concinant:

Ant. Exurge Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum. *Ps.* Deus auribus nostris audivimus: Patres nostri annuntiaverunt nobis. Gloria. *Repetitur Antiphona.* Exurge, etc.

Deinde genuflectunt omnes: et duo Clerici ante Altare majus genuflexi, devote Litanias (pag. 240.) cantare incipiant, ceteris eadem voce respondentibus. Cum autem cantatum erit: **Sancta Maria, Ora pro nobis.** Surgunt omnes, et ordinatim procedunt, egredientes, Litaniasque prosequentes, praecedente Cruce, et sequente Clero, ultimo loco Sacerdos paratus, ut supra dictum est, cum ministris, prout res, vel locus postulat, sacris vestibus indutis.

Si Processio sit longior, vel repetantur Litaniae, vel Litaniis absolutis usque ad Preces exclusive, dicantur aliqui Psalmi ex Poenitentialibus, seu Gradualibus. Hymni vero, vel Cantica laetitiae in iis, vel in Rogationibus, aut aliis poenitentiae causa institutis Processionibus, non dicantur.

Si ad unam, vel plures Ecclesias in via sit divertendum, ingressis Ecclesiam, intermissisque Litaniis, vel Psalmis, cantatur Antiphona cum Versu et Oratione Sancti Patroni illius Ecclesiae. Deinde egredientes, reasumptis Precibus, eodem ordine procedunt usque ad Ecclesiam, ubi cum Precibus et Orationibus omnibus Processio terminatur, ut pag. 244.

In Litaniis minoribus Rogationum serventur omnia, ut supra in Litaniis majoribus.

———o———

DE PROCESSIONE
in festo Sanctissimi Corporis Christi.

Decenter ornentur Ecclesiae et parietes viarum, per quas est transeundum, tapetibus, et aulaeis, et sacris imaginibus, non autem profanis, aut vanis figuris, seu indignis ornamentis.

Sacerdos primum Missam celebret, in qua duas hostias consecret, et sumpta una, alteram in Tabernaculum in Processione deferen-

dum ita reponat, ut per vitrum, seu crystallum, quo ipsum tabernaculum circumseptum esse debet, exterius adorantibus appareat, veloque operiatur, donec auferatur ab Altari. Peracto autem sacrificio, et processione jam inchoata, ordine, quo jam supradictum est in Litaniis majoribus, Sacerdos pluviali albo indutus, ter incenset Sacramentum genuflexus.

Deinde Diaconus oblongum ac decens velum circumponit scapulis Sacerdotis, qui parte veli ante pectus pendente, utraque manu cooperta, Ostensorium, seu Tabernaculum a Diacono sibi porrectum reverenter suscipit in supremo Altaris gradu: mox ad Altare ascendit, et Sacramentum ante faciem tenens, vertit se ad populum, inde descendit sub umbella comitantibus Ministris, et duo Acolythi vel Clerici cum thuribulis effumantibus praecedunt.

Omnes praecedunt nudo capite accensos cereos gestantes, et sequentes Hymnos pro longitudine Processionis devote concinentes. Dum vero Sacerdos discedit ab Altari, Clerus, vel Sacerdos cantare incipit sequentem Hymnum.

Pange lingua gloriosi. etc. pag. 123.

Hymnus.

Sacris solemniis juncta sint gaudia,† Et ex praecordiis sonent praeconia; † Recedant vetera, nova sint omnia, † Corda, voces et opera.

Noctis recolitur coena novissima,† Qua Christus creditur agnum et azyma † Dedisse fratribus, juxta legitima, † Priscis indulta patribus.

Post agnum typicum, expletis epulis,† Corpus Dominicum datum discipulis, † Sic totum omnibus, quod totum singulis, † Ejus fatemur manibus.

Dedit fragilibus corporis ferculum,† Dedit et tristibus sanguinis poculum, † Dicens: Accipite, quod trado vasculum, † Omnes ex eo bibite.

Sic sacrificium istud instituit,† Cujus officium committi voluit † Solis Presbyteris, quibus sic congruit, † Ut sumant, et dent ceteris.

Panis Angelicus fit panis hominum; † Dat panis coelicus figuris terminum. † O res mirabilis! mandúcat Dominum † Pauper, servus, et humilis.

Te Trina Deitas, Unaque poscimus, † Sic nos tu visita, sicut te colimus; † Per tuas semitas duc nos, quo tendimus, † Ad lucem, quam inhabitas. Amen.

Hymnus.

Verbum supernum prodiens, † Nec Patris linquens dexteram, † Ad opus suum exiens, † Venit ad vitae vesperam.

In mortem a discipulo † Suis tradendus aemulis, † Prius in vitae ferculo † Se tradidit discipulis.

Quibus sub bina specie † Carnem dedit et Sanguinem, † Ut duplicis substantiae † Totum cibaret hominem.

Se nascens dedit socium, † Convescens in edulium, † Se moriens in pretium, † Se regnans dat in praemium.

O salutaris Hostia. † Quae coeli pandis ostium: † Bella premunt hostilia, † Da robur, fer auxilium.

Uni, trinoque Domino † Sit sempiterna gloria: † Qui vitam sine termino † Nobis donet in patria, Amen.

Hymnus.

Salutis humanae Sator, ‡ Jesu voluptas cordium, ‡ Orbis redempti Conditor, ‡ Et casta lux amantium.

Qua victus es clementia, ‡ Ut nostra ferres crimina, ‡ Mortem subires innocens, ‡ A morte nos ut tolleres!

Perrumpis infernum chaos, ‡ Vinctis catenas detrahis; ‡ Victor triumpho nobili ‡ Ad dexteram Patris sedes.

Te cogat indulgentia, ‡ Ut damna nostra sarcias, ‡ Tuique vultus compotes ‡ Dites beato lumine.

Tu dux ad astra, et semita, ‡ Sis meta nostris cordibus, ‡ Sis lacrymarum gaudium, ‡ Sis dulce vitae praemium. Amen.

Hymnus.

Æterne Rex altissime, ‡ Redemptor et fidelium, ‡ Cui mors perempta detulit ‡ Summae triumphum gloriae.

Ascendis orbes siderum, ‡ Quo te vocabat coelitus ‡ Collata non humanitus, ‡ Rerum potestas omnium.

Ut trina rerum machina ‡ Coelestium, terrestrium, ‡ Et inferorum condita, ‡ Flectat genu jam subdita.

Tremunt videntes Angeli ‡ Versam vicem mortalium: ‡ Peccat caro, mundat caro, ‡ Regnat Deus, Dei caro.

Sis ipse nostrum gaudium, ‡ Manens Olympo praemium, ‡ Mundi regis qui fabricam, ‡ Mundana vincens gaudia.

Hinc te precantes, quaesumus, ‡ Ignosce culpis omnibus, ‡ Et corda sursum subleva ‡ Ad te superna gratia.

Ut cum repente coeperis ‡ Clarére nube Judicis, ‡ Poenas repellas debitas, ‡ Reddas coronas perditas.

Jesu tibi sit gloria, ‡ Qui victor in coelum redis, ‡ Cum Patre, et almo Spiritu, ‡ In sempiterna saecula. Amen.

Te Deum laudamus, etc. pag. 51.

Benedictus Dominus Deus Israel, etc. pag. 280.

Magnificat * anima mea Dominum:

Et exultavit spiritus meus * in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillae suae: * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est: * et sanctum Nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: * dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, * et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: * et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum, * recordatus misericordiae suae.

Sicut locutus est ad patres nostros, * Abraham, et semini ejus in saecula.

Peracta Processione, et Ss. Sacramento ad Ecclesiam reportato, et super Altari deposito, omnes Ecclesiastici, qui adsunt, hinc inde

ordine genuflexi illud reverenter adorantes, dum Sacerdos de more incensat, sequentem Hymni partem concinant.

Tantum ergo Sacramentum,—Veneremur cernui:—Et antiquum documentum—Novo cedat ritui:—Praestet fides supplementum—Sensuum defectui.

Genitori, Genitoque—Laus et jubilatio,—Salus, honor, virtus quoque—Sit et benedictio:—Procedenti ab utroque—Compar sit laudatio. Amen.

Postea duo Clerici dicant:

℣. Panem de coelo praestitisti eis, alleluja.

℟. Omne delectaméntum in se habéntem, alleluja.

Deinde Sacerdos stans dicit: **OREMUS.**

Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili, Passiónis tuae memóriam reliquísti: tríbue, quaesumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra Mystéria venerári; ut Redemptiónis tuae fructum in nobis júgiter sentiámus: Qui vivis, et regnas in saecula saeculórum. ℟. Amen.

Tunc Sacerdos, facta genuflexione, cum Sacramento semel benedicat populum in modum Crucis, nihil dicens: postea illud reverenter deponat.

Hic autem modus benedicendi servatur etiam in aliis Processionibus faciendis cum Ss. Sacramento.

LITANIAE ET PRECES RECITANDAE IN Expositione et Repositione Ss. Sacramenti dum perficitur Solemnis Oratio per XL. Horas.

Kyrie eléison.
Christe eléison.
Kyrie eléison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo Virginum, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, ora.
Omnes Sancti Angeli, et Archangeli, orate.
Omnes Sancti beatorum Spirituum Ordines, orate.
Sancte Joannes Baptista, ora.

Sancte Joseph, ora pro nobis.
Omnes Sancti Patriarchae, | et Prophetae, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomaee, ora.
Sancte Matthaee, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddaee, ora.
Sancte Mathia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes Sancti Apostoli, | et Evangelistae, orate.
Omnes Sancti Discipuli Domini, orate.
Omnes Sancti Innocentes, orate pro nobis.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Fabiane, et Sebastiane, orate pro nobis.
Sancti Joannes, et Paule, orate pro nobis.
Sancti Cosma, et Damiane, orate pro nobis.
Sancti Gervasi et Protasi, orate pro nobis.
Omnes Sancti Martyres, orate.
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Omnes Sancti Pontifices, | et Confessores, orate.
Omnes Sancti Doctores, orate pro nobis.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Francisce, ora.
Omnes Sancti Sacerdotes, | et Levitae, orate.
Omnes Sancti Monachi, | et Eremitae, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora pro nobis.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Caecilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Omnes Sanctae Virgines, | et Viduae, orate.
Omnes Sancti, | et Sanctae Dei, intercedite pro nobis.

Propitius esto, parce nobis Domine.
Propitius esto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
Ab omni peccato, libera.
Ab ira tua, libera.
A subitanea | et improvisa morte, libera.
Ab insidiis diaboli, libera.
Ab ira, et odio, | et omni mala voluntate, libera.
A spiritu fornicationis,libera.
A fulgure, et | tempestate libera nos Domine.
A flagello terræmotus,libera.
A peste, | fame, et bello, libera nos Domine.
A morte perpetua, libera.
Per Mysterium | sanctae Incarnationis tuae,libera.
Per Adventum tuum,libera.
Per Nativitatem tuam,libera.
Per Baptismum, | et sanctum Jejunium tuum,libera.
Per Crucem, | et Passionem tuam, libera.
Per Mortem, | et Sepulturam tuam, libera.
Per Sanctam | Resurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem | Ascensionem tuam, libera.
Per adventum | Spiritus Sancti Paracliti, libera.
In die Judicii, libera.
Peccatores, te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, te rogamus.
Ut nobis indulgeas,te rogam.
Ut ad veram poenitentiam | nos perducere digneris, te rogamus.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere, | et conservare digneris, te rogamus.
Ut Domnum Apostolicum, | et omnes Ecclesiasticos Ordines | in sancta religione conservare digneris, te rogamus.
Ut inimicos sanctae Ecclesiae | humiliare digneris, te rogamus.
Ut Regibus, et Principibus Christianis | pacem, et veram concordiam donare digneris, te rogamus.
Ut cuncto populo Christiano | pacem,et unitatem largire digneris, te rogamus.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare, | et conservare digneris, te rogamus audi nos.
Ut mentes nostras | ad coelestia desideria erigas, te rogamus audi nos.
Ut omnibus benefactoribus

nostris | sempiterna bona retribuas, te rogamus.
Ut animas nostras, | fratrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum | ab aeterna damnatione eripias, te rogamus.
Ut fructus terrae dare, | et conservare digneris, te rogamus audi nos.
Ut omnibus fidelibus defunctis | requiem aeternam donare digneris,te rogam.
Ut nos exaudire digneris, te rogamus audi nos.
Fili Dei, te rogamus.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

Psalmus 69.

Deus | in adjutórium meum inténde: * Domine | ad adjuvándum me festina.

Confundántur, | et revereántur, * qui quaerunt ánimam meam.

Avertántur retrórsum, | et erubéscant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur statim | erubéscentes, * qui dicunt mihi: Euge, éuge.

Exúltent, et laeténtur in te | omnes, qui quaerunt te, * et dicant semper: | Magnificétur Dóminus, | qui díligunt salutare tuum.

Ego vero | egénus, et páuper sum: * Deus ádjuva me.

Adjútor meus, | et liberátor meus es tu: * Dómine, | ne moréris.

Glória | Patri, et Filio, * et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, | et nunc, et semper, * et in sae'cula | saeculórum. Amen.

℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus | sperántes in te.
℣. Esto nobis, Dómine, | turris fortitúdinis.
℟. A fácie inimíci.
℣. Nihil profíciat inimícus in nobis.
℟. Et fílius iniquitátis | non appónat nocére nobis.
℣. Dómine, | non secúndum peccáta nostra fácias nobis.
℟. Neque secúndum iniquitátes nostras | retríbuas nobis.
℣. Orémus pro Pontífice nostro N.
℟. Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, | et beátum fáciat eum in terra, | et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.
℣. Orémus pro benefactóribus nostris.
℟. Retribúere dignáre, Dómine, | ómnibus nobis bona faciéntibus | propter nomen tuum vitam aetérnam. Am.
℣. Orémus pro fidélibus defúnctis.
℟. Réquiem aetérnam dona eis, Dómine, | et lux perpétua lúceat eis.
℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.
℣. Pro frátribus nostris abséntibus.
℟. Salvos fac, servos tuos, | Deus meus, sperántes in te.
℣. Mitte eis, Dómine, | auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion | tuére eos.
℣. Dómine, | exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus | ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos Corporis, et Sanguinis tui sacra Mysteria venerari, ut Redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus.

Ab Adventu usque ad Nativitatem.

Deus, qui de Beatae Mariae Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: praesta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitrícem

Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur.

A Nativitate usque ad Purificationem.

Deus, qui salutis aeternae Beatae Mariae virginitate foecunda humano generi praemia praestitisti: tribue quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam merúimus auctorem vitae suscipere Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

A Purificatione usque ad Adventum.

Concede nos famulos tuos, quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis, et corporis sanitate gaudere: et gloriosa Beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N., et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae, ut, te donante, tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus, refugium nostrum, et virtus, adesto piis Ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis: et praesta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur.

Omnipotens sempiterne Deus, in cujus manu sunt omnium potestates, et omnia jura regnorum, réspice in auxilium Christianorum, ut gentes Turcarum, et haereticorum, quae in sua feritate et fraude confídunt, dexterae tuae potentia conterántur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque miseréris, quos tuos fide, et opere futuros esse praenóscis: te súpplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne rétinet, vel futurum jam exútos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum.

℣. Domine, | exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus | ad te veniat.

℣. Exaudiat nos | omnipotens, et misericors Dominus.
℟. Et custodiat nos semper. Amen.
℣. Fidelium animae per misericordiam Dei | requiescant in pace. ℟. Amen.

Concordat cum originali. In fidem etc.

L. † S. D. GIGLI S. R. C. PRO-SECRETARIUS.

———:o:———

MODUS SOLEMNITER RENOVANDI VOTA IN FESTIVITATE SS. ANGELORUM CUSTODUM

DOM. I. SEPT.

Post decantatum Evangelium Reverendissimus Dominus cum Mitra et Baculo comitantibus Ministris accedit ad Altare, et singulis de Ven. Conventu cum accensis candelis praesentibus, et cucullis indutis, ac secundum ordinem Professionis ex utroque latere stantibus, genuflexus incipit Hymnum: *Veni Creator*, (cantum I. versi ejusdem vide pag. 161.) quem alternante Organo singuli pariter genuflexi prosequuntur.

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae tu creasti pectora.
Qui Paraclitus diceris,
Donum Dei altissimi,
Fons vivus, Ignis, Caritas,
Et spiritalis Unctio.
Tu septiformis munere,
Dextrae Dei tu Digitus,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus.
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius.
Pacemque dones protinus;
Ductore sic te praevio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus, da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Te utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.
Gloria Patri Domino,
Natoque, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In saeculorum saecula. Amen.

Post hymnum Reverendissimus Dominus adhuc genuflexus cantat:

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terrae.

Surgit et cantat:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quibus cantatis, RR. Dominus genuflexus instaurat Professionem suam sequentium tenore verborum:

Ego F. N. indignus hujus Monasterii Abbas renovo Professionem meam, et promitto stabilitatem, et conversionem morum meorum, et obedientiam juxta Regulam Sanctissimi Patris Nostri Benedicti, et Statuta nostra, coram Deo, et omnibus Sanctis ejus. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Tunc surgit, et cum Mitra sedens in Faldistorio ad medium Altaris, renovationem omnium praesentium R.R. Patrum et Fratrum Clericorum a P. Priore recipit. Accedit itaque P. Prior, et ante RR. D. Abbatem genuflexus nomine omnium, Professionem sequentem in modum renovat, quam singuli pariter genuflexi de verbo ad verbum repetunt mutato solum Nomine.

Ego Frater N., † renovo Professionem meam † et promitto stabilitatem † et conversionem morum meorum, † et obedientiam, † juxta Regulam † Sanctissimi Patris Nostri Benedicti, † et Statuta nostra, † coram Deo, † et Sanctis ejus, † ac Domino Abbate nostro N., † In nomine Patris, † et Filii † et Spiritus Sancti. Amen.

Quibus finitis osculatur manum dexteram D. Abbatis, et ad locum suum recedit P. Prior. Tunc accedit P. Subprior, et ante RR. D. Abbatem genuflexus nomine omnium Fratrum Conversorum, Professionem eandem lingua vulgari renovat, quam singuli Conversi pariter genuflexi de verbo ad verbum repetunt mutato solum Nomine.

Ich Bruder N. ‡ erneuere meine Profeß, ‡ und verspreche Stabilität, ‡ und Bekehrung meiner Sitten, ‡ und Gehorsam ‡ nach der Regel ‡ unseres heiligsten Vaters Benedictus, ‡ und unseren Statuten, ‡ vor Gott, ‡ und Seinen Heiligen, ‡ und unserem Herrn Abt N., ‡ Im Namen des Vaters, ‡ und des Sohnes, ‡ und des heiligen Geistes. Amen.

I Brother N. || renew my Profession, || and I promise stability, || and the conversion of my morals, || and obedience, || according to the Rule || of Our Most Holy Father Benedict, || and our Statutes, || in the presence of God, || and of all his

Saints, || and of our Lord Abbot N., || In the name of the Father, || and of the Son, || and of the Holy Ghost. Amen.

Quibus finitis osculatur manum dexteram D. Abbatis, et ad locum suum recedit P. Subprior. Et Reverendissimus stans sine Mitra cantat versus populum:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Sempiterne Deus, et omnipotens Pater, qui humanae fragilitatis infirmitatem agnoscis; réspice, quaesumus, super hos famulos tuos, et largitatum Benedictionis abundantia infirmitatem nostram roborare digneris, ut promissa vota, quae praeveniendo aspirasti, per auxilium gratiae tuae sancte, pie, ac Religiose vivendo valeamus vigilanter observare, et observando vitam promereri sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde descendit ad infimum gradum et incipit Hymnum: **Te Deum laudamus** (pag. 51.), quem Ven. Conventus intersonante Organo prosequitur. Quo finito pergit cantando:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

℟. Laudemus, et superexaltemus eum in saecula.

℣. Manda Deus virtuti tuae.

℟. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

℣. Salvos fac servos tuos, ℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Post partum, Virgo, inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix, intercede pro nobis.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitébor nomini tuo.

℣. Ora pro nobis, Sanctissime Pater Benedicte.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est Thesaurus, piissimae Majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas.

Intercessio nos, quaesumus Domine, Beatissimi Patris nostri Benedicti Abbatis commendet: ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur.

Deus, qui a saeculi vanitate conversos ad Bravíum supernae vocationis accendis, pectoribus nostris purificandis illábere, et gratiam nobis, qua in te perseveremus, infunde, ut protectionis tuae muniti praesidiis, quod te donante promisimus, impleamus, et nostrae Professionis executores effecti, ad ea, quae perseverantibus in te promittere dignatus es, pertingamus. Per Dominum.

His cantatis Ven. Conventus ad Sacristiam revertitur, et Reverendissimus Dominus pergit in Summo Officio.

Oratio ad Renovanda Vota Religionis.

(Quae alio tempore potest dici, sive privatim, sive cum aliis, dummodo verba recitentur a singulis.)

Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, pro gratia illa singulari, qua me vilissimum peccatorem de hoc saeculo nequam eduxisti, et in hoc religiosissimo Ordine ad solemnem professionem admisisti. Doleo ex toto corde, quod gratiae huic non satis responderim, et tanto beneficio fuerim ingratus. Detestor omnes negligentias in hoc statu commissas, et quod tam parum ad ejus perfectionem aspiraverim. Ignosce mihi, Deus, veniae largitor et humanae salutis amator, et da, ut vel nunc tandem tua gratia incipiam, quod equidem ex animo cupio et propono. Quod si me votis necdum tuae Majestati obstrinxissem, nunc sane id facerem, ideoque quanta devotione pos-

sum illa nunc renovo, et novo fervore tibi promitto Stabilitatem, et Conversionem morum meorum, Paupertatem, Castitatem et Obedientiam secundum Regulam Sancti Patris nostri Benedicti. Verumtamen, quia ad haec implenda me nimis tepidum et infirmum agnosco, rogo te misericordissime Jesu, ut, qui dedisti mihi vovendi voluntatem, tribuas etiam exequendi facultatem, meque ita dirigas, ut non mihi, sed tibi soli vivam, omnesque Ordinis observantias, et quidquid animae meae perfectionem promovere possit, summo studio amplectar ad gloriam nominis tui, qui es Deus benedictus in saecula. Amen.

PIUS PP. IX. omnibus Monachis et Monialibus Ordinis Ss. P. Benedicti, qui praefatam Orationem devote et corde saltem contrito recitaverint. Indulgentias 300 dierum, etiam defunctis applicabiles, semel in die lucrandas concessit, 14. Maji, 1861.

ORATIO SS. P. N. BENEDICTI PRO FELICI MORTE.

O beate Pater, gratia et nomine a Deo Benedicte, qui Angelicum tuum spiritum, erectis ad coelum manibus stans et orans in manus tui Creatoris felicissime commendasti; atque omnes, qui gloriosae mortis tuae et coelestium gaudiorum quotidie te admonituri essent, in suprema mortis luctatione contra omnes inimicorum insidias strenue te defensurum promisisti: custodi me, quaeso, gloriose Pater, hodie et quotidie tua sancta benedictione, ut a Benedicto nostro Jesu atque a tua et omnium Benedictorum societate nullo malo valeam separari. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

PIUS PP. IX. omnibus Monachis et Monialibus Ordinis Ss. P. Benedicti, qui praefatam Orationem devote et corde saltem contrito recitaverint, Indulgentias 300 dierum, etiam defunctis applicabiles, semel in die lucrandas concessit, 14. Maji, 1861.

———:x-o-x:———

PRECES DICENDAE IN MONACHORUM Congregatione.

Quoties fit aliqua congregatio, pro negotiis vel quibuslibet rebus, Abbas incipit:

Ant. Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Memento congregationis tuae.
℟. Quam possedisti ab initio.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Mentes nostras, quaesumus Domine, lumine tuae claritatis illustra: ut videre possimus, quae agenda sunt; et quae recta sunt agere valeamus. Per Christum Dñm.

Finita Congregatione, Abbas dicit: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *secreto.*
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Praesta nobis, quaesumus, Domine, auxilium gratiae tuae, ut quae, te auctore, facienda cognovimus, te operante, impleamus. Per Christum Dominum.

———:x:———

PRECES DICENDAE TEMPORE COMITIORUM.

Post Nonam dicitur Ant. **Emitte, Domine.**

Psalmus 66.

Deus misereatur nostri et benedicat nobis: * illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam, * in omnibus Gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: * confiteantur tibi populi omnes.

Laetentur et exultent Gentes:* quoniam judicas populos in aequitate: et Gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: * et metuant eum omnes fines terrae.

Ant. Emitte, Domine quaesumus, Spiritum Sanctum tuum

de Coelo sancto tuo a sede Magnitudinis tuae, et da servis tuis illam Sedium tuarum assistrícem Sapientiam; ut sciant, quid acceptum sit coram Te omni tempore, alleluja.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Divino lumine, Deus, tuorum corda servorum miserator illustra, et Sancti Spiritus in eis ignem accende, ut semper, quae agenda sunt, videant, et ad implenda, quae viderint, convalescant. Per Christum Dominum.

———:o:———

FORMA INDULGENTIAE PUBLICANDAE
per sermocinantem, ac benedictionis, ab Episcopo post ipsum sermonem impertiendae.

Ad usum Episcoporum in Ecclesiis O. N. celebrantium.

1. Statim finito sermone, Diaconus, qui cantavit Evangelium, stans ante infimum gradum solii, conversus ad Episcopum stantem cum mitra, capite inclinato, cantabit confessionem, in tono, prout habetur in Rituali Romano; et dum dicet (*Tibi Pater*) et (*Te Pater*), si fuerit Canonicus profunde se inclinabit, si non fuerit Canonicus genuflectet.

Confiteor Deo omnipotenti: Beatae Mariae semper Virgini: Beato Michaeli Archangelo: Beato Joanni Baptistae: Sanctis Apostolis Petro, et Paulo: Beato Patri nostro Benedicto: omnibus Sanctis, et tibi Pater. *Quod dum dicit genuflectit, vel se inclinat, coram Pontifice, ut supra: Tum surgit, et continuat.* Quia peccavi nimis, cogitatione, verbo, et opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor Beatam Mariam semper Virginem: Beatum Michaelem Archangelum: Beatum Joannem Baptistam: Sanctos Apostolos Petrum, et Paulum: Beatum Patrem nostrum Benedictum: omnes Sanctos, et te Pater: orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

2. Finita confessione per Diaconum, Episcopus sedet, et sermocinator, qui in pulpito, dum cantatur confessio, genuflectet, surgens, publicabit Indulgentiam in forma sequenti, videlicet:

Reverendissimus in Christo Pater, et Dominus N. Dei, et Apostolicae Sedis gratia, hujus Sanctae N. Ecclesiae

Episcopus dat, et concedit omnibus hic praesentibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiae consueta. Rogate Deum pro felici statu Sanctissimi Domini nostri N. Divina providentia Papae N., Dominationis suae Reverendissimae, et Sanctae Matris Ecclesiae.

Der hochw'ste Herr Bischof N. verleiht allen hier Gegenwärtigen, die ihre Sünden gehörig bereut haben, einen Ablaß von 40 Tagen. Bittet Gott für Seine Heiligkeit Papst N. den N., für Seine Gnaden den Bischof und für unsere hl. Mutter die Kirche.

The Right Rev. Bishop N. grants to all here present duly contrite an Indulgence of 40 days. You are requested to pray for his Holiness Pope N. the N., for his Lordship the Bishop, and for our Holy Mother the Church.

3. Publicata Indulgentia, Episcopus, deposita mitra, surget, et leget ex libro, per ministrum de eo servientem, supra caput sustentato, in tono orationis versus ad populum, ut infra, videlicet.

Precibus, et meritis Beatae Mariae semper Virginis, Beati Michaelis Archangeli; Beati Joannis Baptistae; Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli; et omnium Sanctorum, misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam aeternam. ℟. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum vestrorum, tribuat vobis omnipotens, et misericors Dominus. ℟. Amen. *Deinde reassumpta mitra, benedicens populo, more consueto, dicet:* Et benedictio Dei Omnipotentis Pa † tris, et Fi † lii, et Spiritus † Sancti descendat super vos, et maneat semper. ℟. Amen.

4. Si autem erit Archiepiscopus, statim, publicata Indulgentia, Capellanus portabit ante illum Crucem, quam genuflexus, tenebit, et Archiepiscopus surgens, deposita mitra, prius Cruci caput profunde inclinabit, et deinde adhuc stans, prosequetur (*Precibus, etc.*) et sic detecto capite, solemniter benedicet.

———:o:———

DE INDULGENTIA PLENARIA

concedenda nuper Conversis ab haeresi (ab iis, qui facultatem habent).

Adhibeatur formula, quae habetur pag. 11., sed Publicatio Indulgentiae fiat his, vel similibus verbis.

Attentis facultatibus a Reverendissimo Domino Episcopo N. N. mihi subdelegatis: Ego N. N. Sacerdos, Summi Pontificis Nomine concedo tibi Indulgentiam Plenariam in forma Ecclesiae consueta. Roga igitur Deum pro felici statu Sanctissimi Domini Nostri Papae, Dominationis Suae Reverendissimae, et Sanctae Matris Ecclesiae.

Kraft der Vollmacht, die mir vom hochw'sten Herrn Bischof N. N. subdelegirt ist: ertheile ich N. N. Priester, Euch (Ihnen) im Namen des Papstes einen vollkommnen Ablaß in der gewöhnlichen Form der Kirche. Bittet (bitten Sie) daher Gott für die Wohlfahrt Seiner Heiligkeit des Papstes, Seiner Gnaden des Bischofs und unserer heiligen Mutter der Kirche.

In virtue of faculties subdelegated to me by the Right Rev. Bishop N. N., I. N. N. Priest, in the Name of the Sovereign Pontiff grant you a Plenary Indulgence in the usual form of the Church. Pray then for His Holiness the Pope, for our Right Rev. Bishop, and for our holy Mother the Church.

———:x-o-x:———

DE ALTARI PRIVILEGIATO.

In pag. 132 hujus Ritualis habetur Rescriptum Apostolicum, quo conceditur, ut unum Altare in Ecclesiis O. N. sit privilegiatum servatis servandis. Hinc optimum factu duxi aliqua hic addere, quae explicent naturam hujus facultatis. Altare privilegiatum est vel locale, vel personale. Dicitur locale, quando adhaeret alicui determinato Altari: est personale, quando adhaeret alicui determinatae personae, ita ut talis persona gaudeat privilegio in quocunque Altari fixo, vel portatili celebret. In Decreto S. Cong. Indulgentiarum (Sancti Flori) haec habentur:

Episcopus S. Flori in Gallia quaerit, utrum per Indulgentiam Altari Privilegiato adnexam intelligenda sit Indulgentia Plenaria animam statim liberans ab omnibus Purgatorii poenis, an vero tantum Indulgentia quaedam secundum Divinae Misericordiae Beneplacitum applicanda?—Sac. Congregatio, votis Consultorum auditis, respondit: „Per Indulgentiam Altari Privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis, et usus clavium potestatis, intelligendam esse Indulgentiam Plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus Purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse Indulgentiam, cujus mensura Divinae Misericordiae Beneplacito, et acceptationi respondet." Ita Sac. Cong. Die 28. Julii 1840. Urbis et Orbis.

Cum ex veteri more, et laudabili Ecclesiae instituto die secunda Novembris omnium Defunctorum Memoria recoli, eorumque animae ab universis Christifidelibus orationibus, eleemosynis aliisque piis operibus et Ecclesiae suffragiis, potissimum vero acceptabili Sacrosanctae Missae Sacrificio juvari soleant, Sanctissimus Dominus Nos-

ter Clemens PP. XIII. ex paterna sua caritate erga omnes Fideles tam vivos quam defunctos, animabus eorum, qui ex hac mortali vita in gratia et caritate Dei, nondum tamen omnibus mundanis sordibus expiatis, decesserunt, de inexhausto Catholicae Ecclesiae thesauro abundantius suffragari quam maxime cupiens, ut celerius e Purgatorii poenis liberatae ad aeternam gloriam per Dei misericordiam pervenire valeant, de consilio V. V. S. R. E. Cardinalium Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositorum, universali hoc Decreto perpetuis futuris temporibus valituro benigne concedit, ut Missa die praedicta Commemorationis Defunctorum adeat Privilegio, ac si esset in Altari privilegiato celebrata, decernendo tamen, ut nonnisi consuetam eleemosynam, unusquisque Sacerdos pro dicta Missa licet Privilegiata, accipiat, et in ea tantum quantitate, quae a Synodalibus Constitutionibus, seu a Loci consuetudine regulariter praefinita fuerit. Quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus. Datum die 19. Maji 1761. N. Card. Antonellus *Praef.* J. De Comitibus *Secret.*

Meliten.

Caeremoniarius Ecclesiae Cathedralis Dioecesis Meliten. quaerit a Sac. Congregatione: „An Sacerdos, qui gaudet privilegio Altaris personalis, si aggregatus alicui Congregationi, quae etiam dicto privilegio gaudet, possit adhuc frui hoc alio privilegio, cum aliunde jam habeat per tres, aut quatuor vices in hebdomada tale privilegium?"—Sac. Congregatio respondit, auditis quoque Consultorum votis: „Affirmative, dummodo in Indultis, de quibus mentio fit in ipso dubio, aliter expresse non disponatur." Die 27. Maji 1839.

Incerti loci in Gallia.

Quaeritur in Sacra Indulgentiarum Congregatione: 1. „Utrum Sacerdos satisfaciat obligationi celebrandi Missam pro defuncto, servando Ritum *Feriae, vel cujuscunque Sancti, etiamsi non sit semiduplex, aut duplex?*"—Sac. Congregatio respondit: „Affirmative." 2. „Utrum, qui privilegium habet, personale pro quatuor Missis in hebdomadis singulis, debeat cum paramentis colore nigro celebrare diebus non impeditis, ut possit Indulgentiam Plenariam pro animabus defunctorum lucrari?"—Sac. Congregatio respondit: „Affirmative." 3. „Utrum, qui celebrat in Altari Privilegiato pro singulis diebus, debeat semper uti paramentis nigris diebus non impeditis, ut Indulgentiam Privilegii consequatur?" —Sac. Congregatio respondit: „Ut in secundo." Die 14. Apr. 1840.

In una Mechlinen. ad dub. 4. „An authenticum sit Rescriptum diei 12. Maji 1817, quo Pius VII. concessisse dicitur, ut omnia Altaria cujuslibet Ecclesiae sint privilegiata tempore Orationis Quadraginta Horarum (quocunque anni tempore fiant) et Indulgentiae concessae applicari valeant fidelibus defunctis?" „Affirmative." Ita Sac. Congr. die 28. Junii 1841.

Leodien.

Item ex praefata Leodiensi Dioecesi petitur declarari: „An Indulgentia seu Privilegium Altaris a S. Sede concessum sit lapidi consecrato, plerumque portatili in quacunque Ecclesia, et cuicumque Altari fixo imposito, an vero determinato Altari fixo, quod proinde alio consecrato lapide imposito, privilegium minime amitte-

ret?"—Sac. Congregatio respondit: „Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam: videlicet Privilegium, de quo supra, datum est Altari determinato, et in honorem alicujus Sancti specialiter dicato, ita ut Privilegium ipsum Altari fixo exclusive inhaereat, nec ad aliud Altare etsi fixum, transferendum." Die 27. Sept. 1843.

Incerti loci.

Cajus Sacerdos habens Privilegium personale Altaris privilegiati, bis aut ter in hebdomada accepto stipendio pro Missa celebranda in Altari privilegiato, ex praetextu personalis privilegii ejusdem Altaris privilegiati, celebrat in Altari non privilegiato. Quaeritur an bene se gerat, et utrum oneri suscepto satisfaciat?—Sac. Congregatio respondit: „Affirmative" die 16. Febr. 1852.

Veronen.

Joannes Baptista Biadego Cancellarii Episcopalis munere fungens in Civitate et Dioecesi Veronensi huic S. Indulg. Congregationi proposuit dubia ut infra. 1. Utrum Missa celebrata ad Altare privilegiatum sit per se privilegiata, aut necesse sit, ut vel offerens eleemosynam, vel Sacerdos intendat applicare privilegium? 2. Utrum in die obitus, tertii, trigesimi, et anniversarii Missa de Requiem cantata pro aliquo defuncto sit privilegiata?—Eadem Sacra Congregatio in generalibus Comitiis habitis in Palatio Apostolico Vaticano die 5. Martii ineuntis anni, audito prius Consultoris voto, respondendum esse duxit. Ad primum „Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam." Ad secundum „Negative." Et facta de his omnibus per me infrascriptum Sac. Congregationis Secretarium Ss. Domino Nostro Pio PP. IX. relatione in Audientia diei 12. ejusdem mensis, Sanctitas Sua resolutiones Sac. Congregationis benigne approbavit. Datum Romae ex Secretaria ipsius Sac. Congregationis Indulgentiarum die 12. Martii 1855. F. Card. Asquinius *Praef.* A. Colombo *Secret.*

Urbis et Orbis.

Decretum. Quamplures Romani Cleri Sacerdotes, ac praesertim Animarum Curatores dubium huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae enodandum proposuerunt „Utrum, scilicet, Sacerdos celebrans in Altari Privilegiato legendo Missam de Festo Semiduplici, Simplici, Votivam, vel de Feria non privilegiata, sive ratione expositionis Sanctissimi Sacramenti, sive Stationis Ecclesiae, vel alterius Solemnitatis, aut ex rationabili motivo fruatur privilegio ac si legeret Missam de Requiem per Rubricas eo die permissam?"—Sacra itaque Congregatio, quae habita fuit apud Vaticanas aedes die 29. Februarii 1864, auditis Consultorum Votis, respondendum esse duxit „*Affirmative, deletis tamen verbis*" aut ex rationabili motivo „*et facto verbo cum Sanctissimo.*" Facta insuper, per me infrascriptum ejusdem S. Congregationis Secretarium, Sanctissimo Domino Nostro relatione, in Audientia diei 11. Aprilis ejusdem anni, Sanctitas Sua Eminentissimorum Patrum Sententiam benigne confirmavit. Datum Romae ex Secretaria ipsius S. Congregationis Indulgentiarum die 11. Aprilis 1864.

Loco † Signi. F. Antonius Maria *Card.* Panebianco *Praefectus.*
A. Colombo *Secretarius.*

Litaniae Ssmi. Nominis Jesu.

(S. R. C. 12. Aug. 1862.)

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, *)
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Jesu, Fili Dei vivi,
Jesu, splendor Patris,
Jesu, candor lucis aeternae,
Jesu, Rex gloriae,
Jesu, sol justitiae,
Jesu, Fili Mariae Virginis,
Jesu amabilis,
Jesu admirabilis,
Jesu, Deus fortis,
Jesu, Pater futuri saeculi,
Jesu, magni consilii Angele,
Jesu potentissime,
Jesu patientissime,
Jesu obedientissime,
Jesu mitis et humilis corde,
Jesu, amator castitatis,
Jesu, amator noster,
Jesu, Deus pacis,
Jesu, auctor vitae,
Jesu, exemplar virtutum,
Jesu, zelator animarum,
Jesu, Deus noster,
Jesu, refugium nostrum,
Jesu, pater pauperum,
Jesu, thesaurus fidelium,
Jesu, bone pastor,
Jesu, lux vera,
Jesu, sapientia aeterna,
Jesu, bonitas infinita,
Jesu, via et vita nostra,
Jesu, gaudium Angelorum,
Jesu, rex Patriarcharum,
Jesu, inspirator Prophetarum,
Jesu, magister Apostolorum,
Jesu, doctor Evangelistarum,
Jesu, fortitudo Martyrum,
Jesu, lumen Confessorum,
Jesu, puritas Virginum,
Jesu, corona Sanctorum omnium.
Propitius esto,—parce nobis Jesu.
Propitius esto,—exaudi nos Jesu.
Ab omni malo, **)
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
Ab insidiis diaboli,
A spiritu fornicationis,
A morte perpetua,
A neglectu inspirationum tuarum.
Per Mysterium sanctae Incarnationis tuae,
Per Nativitatem tuam,
Per Infantiam tuam,
Per Divinissimam Vitam tuam,
Per Labores tuos,
Per Agoniam et Passionem tuam,
Per Crucem et Derelictionem tuam,
Per Languores tuos,

*) Miserere nobis! **) Libera nos, Jesu!

Per Mortem et Sepulturam tuam,*)
Per Resurrectionem tuam,
Per Ascensionem tuam,
Per Gaudia tua,
Per Gloriam tuam,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, Jesu.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui dixisti : petite et accipietis ; quaerite et invenietis ; pulsate et aperietur vobis ; quaesumus, da nobis petentibus Divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore et opere diligamus, et a tua laude nunquam cessemus.

Sancti Nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Qui vivis, etc.

Post ea, quae diximus pag. 66 de Communione administranda in Missis defunctorum, nuperrime prodiit *Decretum generale* latum a S. R. C. et approbatum a Ss. D. N. Pio PP. IX. 23. Jul. 1868. Quaerebatur „An Sacerdos possit aperire Ciborium ad communicandos Fideles in paramentis nigris? S. R. C. respondit „Affirmative seu posse in Missis defunctorum, cum paramentis nigris, Sacram Communionem Fidelibus ministrari, etiam ex particulis praeconsecratis, extrahendo pyxidem a tabernaculo. Posse item in paramentis nigris, ministrari Communionem immediate post Missam defunctorum ; data autem rationabili causa, immediate quoque ante eandem Missam ; in utroque tamen casu omittendam esse benedictionem. Missas vero defunctorum celebrandas esse omnino in paramentis nigris; adeo ut violacea adhiberi nequeant, nisi in casu, quo die 2. Nov. Ss. Eucharistiae Sacramentum publicae Fidelium adorationi sit expositum pro solemni Oratione Quadraginta Horarum, prout cautum est in Decreto Sacrae hujus Congregationis diei 16. Sept. anni 1801". Est autem tenoris sequentis : 1. An in Ecclesiis, in quibus expositum manet Ss. Eucharistiae Sacramentum Fidelium adorationi, in turno perpetuae orationis, quae dicitur Quadraginta Horarum, occurrente die commemorationis omnium Fidelium defunctorum, liceat recitare Officium defunctorum, et celebrare Missam solemnem, et etiam Missas privatas itidem defunctorum? 2. Et quatenus affirmative : an adhiberi debeant paramenta coloris violacei potius, quam nigri coloris? 3. Et an in eodem casu excipiendum sit Altare, in quo habetur expositum Ss. Sacramentum? — Et S. eadem C., ob oculos habita sen-

*) Libera nos, Jesu!

tentia duorum sacrarum caeremoniarum Apostolicarum Magistrorum scripto exarata, referente Emo. et Rmo. Dom. Cardinali de Somalia Urbis Vicario, S. R. C. Praefecto, rescribendum censuit, ut infra. Ad 1. *Affirmative.* Ad 2. *Arbitrio superioris localis.* Ad 3. *Affirmative.* Et ita declaravit. Die 16. Sept. 1801.

PRO GRATIARUM ACTIONE.

Hymnus Ssorum. Ambrosii et Augustini.

Te Deum laudamus: * te Dominum confitemur.
Te aeternum Patrem, * omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli, * tibi coeli, et universae potestates.
Tibi Cherubim et Seraphim * incessabili voce proclamant:
Sanctus, * Sanctus, * Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt coeli et terra: * majestatis gloriae tuae.
Te gloriosus * Apostolorum chorus.
Te Prophetarum * laudabilis numerus.
Te Martyrum candidatus * laudat exercitus.
Te per orbem terrarum, * sancta confitetur Ecclesia.
Patrem * immensae majestatis.
Venerandum tuum verum, * et unicum Filium.
Sanctum quoque * Paraclitum Spiritum.
Tu Rex * gloriae, Christe.
Tu Patris * sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem, * non horruisti Virginis uterum.
Tu devicto mortis aculeo: * aperuisti credentibus regna coelorum.
Tu ad dexteram Dei sedes: * in gloria Patris.
Judex crederis * esse venturus.
Te ergo, quaesumus, tuis famulis subveni: * quos pretioso Sanguine redemisti.
Æterna fac cum Sanctis tuis: * in gloria numerari.
Salvum fac populum tuum, Domine: * et benedic haereditati tuae.
Et rege eos: * et extolle illos usque in aeternum.
Per singulos dies, * benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in saeculum: * et in saeculum saeculi.

Dignare, Domine, die isto, * sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine: * miserere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos: * quemádmodum speravimus in te.

In te, Domine, speravi: * non confundar in aeternum.

℣. Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum.
℟. Et laudabilis, et gloriosus in saecula.
℣. Benedicamus Patrem, et Filium cum Sancto Spiritu.
℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.
℣. Benedictus es, Domine, in firmamento coeli.
℟. Et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in saecula.
℣. Benedic anima mea Domino.
℟. Et noli oblivisci omnes retributiones ejus.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas.

ORATIO.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

ORATIO.

Deus, qui neminem in te sperantem nímium affligi permittis, sed pium precibus praestas audítum: pro postulationibus nostris, votisque susceptis gratias agimus, te piissime deprecantes, ut a cunctis semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

INDEX.

olei candelarum 101 93

De Sacramento Extremae Unctionis.

De Sacramento Matrimonii.

De Sacramento Confirmationis

De Confraternitatibus.

De Litaniis.

De Psalmis.

De Hymnis.

De Rescriptis Pontificiis.

De Monitis.

De Instructionibus.

De Decretis

Sac. Congregat. Indulgentiarum.

De Orationibus.

De Precibus.

Pro qualibet die.

ABSOLUTIO GENERALIS

impertienda statis diebus Confratribus Ss. Trinitatis vide pag. 134.

Dies autem sunt: i. 28 Jan. in festo S. Agnetis Secundo. ii. 8. Jan. in festo S. P. N. Joannis de Matha. iii. 14 Febr. in festo B. P. N. Joannis Bapt. a Conceptione. iv. Feria quarta Cinerum. v. Feria quinta majoris Hebdomadae. vi. Dominica Ss. Trinitatis. vii. 5. Jul. in festo B. Michaelis a Sanctis. viii. 20 Nov. in festo S. P. N. Felicis Valesii. ix. 25 Nov. in festo S. Catharinae Virg. et Mart.


Deacidified using the Bookkeeper proces
Neutralizing agent: Magnesium Oxide
Treatment Date: Jan. 2006

PreservationTechnologie
A WORLD LEADER IN PAPER PRESERVATIC

111 Thomson Park Drive
Cranberry Township, PA 16066
(724) 779-2111

MAY 78




LIBRARY OF CONGRESS
0 017 338 847 0